REI METRICAE

POETARUM LATINORUM

PRAETER

PLAUTUM ET TERENTIUM

SUMMARIUM.

IN USUM SODALIUM

INSTITUTI HISTORICI PHILOLOGICI

PETROPOLITANI

CONSCRIPSIT

Eduard
Friedrich Hermann

LUCIANUS MUELLER.

---

1 ℳ. 60 ₰ = 2 Francs = 80 Kop.

PETROPOLI

A. MDCCCLXXVIII.

LIPSIAE VENDIT B. G. TEUBNER;

PETROPOLI C. RICKER, NEVSKY-PROSPEKT NR. 14.

476
M91n
Vahlen

12 No'18 A.M.F.

L. S.

Multorum olim desideriis cum esset expetitum, ut epitomen libri de re metrica poetarum Latinorum ederemus qualemcumque, qua possent uti, quibus non esset otium totum illud opus excutiendi, et rerum copia saepe intricatum nec satis accommodatum ad usus quotidianos, nunc tandem per negotiorum magnitudinem licuit id perficere, quod ipsi pridem cupiebamus. Et maxime quidem hac sumus causa permoti, ut desideriis illis satisfaceremus, quod adulescentibus Instituti Historici Philologici Petropolitani parandum erat summarium quoddam rei metricae Latinae, quo ad erudiendam in gymnasiis iuventutem Rossicam cum commodo possent uti. Ceterum ne aliis quidem hoc opusculum ingratum fore spero, nec inutile ad tollendam rei metricae imperitiam, qua haud pauci iam laborant poetarum Latinorum interpretes, et ad exturbanda enchiridia metricae Latinae, quibus plerumque utuntur gymnasiorum praeceptores.

Respeximus autem, ut par erat, maxime Vergilium, Horatium, Ovidium, Phaedrum et siqui praeter hos poetae Latini gymnasiorum usu teruntur, deinde reliquos, qui fuerunt a Lucretio usque ad Iuvenalem. Antiquiores et recentiores, alienos fere illos ab usu scholarum, cur tangeremus rarius fuit causa.

Praeterea, ubi expediebat, ut Graecorum auctorum, ita Plauti ac Terentii memoravimus placita.

Seclusimus autem, ut oportebat, a rei metricae doctrina doctrinam prosodiae Latinae, quippe cuius peritia non minus

uuae

ad prosam quam ad carmina legenda sit opus. De hac igitur acturi sumus in summario orthographiae et prosodiae Latinae, quod proximo tempore edetur.

Denique e re existimavimus adnotare, unde quaeque ex libro nostro essent ducta, ut siquis plura de rebus, quae hoc opusculo tractantur, cognoscere vellet, haberet unde sumeret; in quo quidem excerpendo quod iam quaedam mutavimus aut addidimus, quid mirum?

Dab. Petropoli Kal. Octobribus A. MDCCCLXXVII.

PROOEMIUM.

§ 1.

Omnis *syllaba* certum habet *tempus* (χρόνον), aut *breve* aut *longum*, quod ex duobus brevibus constat.

Communis aut ut nunc dicitur *anceps* est syllaba, quando eadem et *produci* potest et *corripi* ut *lĭquidus, conŭbium, Ĭtalus.*

NOMINA PEDUM.

⏑ ⏑ pyrrichius.
– ⏑ trochaeus, choreus.
⏑ – iambus.
– – spondeus.

⏑ ⏑ ⏑ tribrachus.
– ⏑ ⏑ dactylus.
⏑ ⏑ – anapaestus.
⏑ – ⏑ amphibrachus.
⏑ – – bacchius, antibacchius, palimbacchius.
– – ⏑ antibacchius, palimbacchius, bacchius.
– ⏑ – creticus, amphimacer.
– – – molossus.

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ proceleusmaticus.
– ⏑ ⏑ ⏑ paeon primus.
⏑ – ⏑ ⏑ paeon secundus.
⏑ ⏑ – ⏑ paeon tertius.
⏑ ⏑ ⏑ – paeon quartus.
⏑ ⏑ – – ionicus a minori.
– – ⏑ ⏑ ionicus a maiori.
⏑ ⏑ – choriambus.
⏑ – – ⏑ antispastus.
– ⏑ – ⏑ ditrochaeus, dichoreus.
⏑ – ⏑ – diiambus.

⏑ – – – epitritus primus.
– ⏑ – – epitritus secundus.
– – ⏑ – epitritus tertius.
– – – ⏑ epitritus quartus.
– – – – dispondeus.

Pes in metro constat ex arsi et thesi. Arsis est ea pars, in qua ictus est, thesis ea, quae caret ictu. His nunc communi usu distinguuntur partes pedis nominibus; veteres tamen grammatici plerique quam nos *arsin*, appellant *thesin*, quam nos *thesin*, *arsin*.

Dipodia est duorum pedum coniunctio. Numeri *dactylici* solent scandi per *monopodias*, at *iambici*, *trochaici*, *anapaestici* per *dipodias*, ut bini pedes singula impleant metra. Velut trimeter iambicus constat pedibus sex. *Maior autem vis numeri in priore parte constat dipodiae, h. e. in imparibus pedibus.*

Basis nunc vocatur versuum phalaecii, pherecratei, glyconei, asclepiadei utriusque *primus pes*, in quo Graeci et quidam Romanorum promiscue usurpant trochaeum, spondeum, iambum.

Anacrusis in versu alcaico hendecasyllabo vel enneasyllabo vocatur *prima syllaba*, quae est communis.

Versus est ordo metricus ex paribus sive diversis constans pedibus, sed sub certa eurythmiae et euphoniae lege incohatus, continuatus, terminatus. Ob id ipsum etiam cavetur, ne versus aut ex nimis parvis aut ex longis nimis constet vocabulis, sed ut bene mixtus sit ex utrisque, neve eadem nimis saepe recurrat littera. Apte autem statuemus, metrum quo usitatius fuerit apud Graecos et Romanos, eo propius accedere ad summae perfectaeque pulchritudinis normam.

Ut *in prosa* servandus est *rhythmus* sive *numerus*, qui temperatur accentu grammatico verborum eorumque apta copulatione, ita *in poesi* servandum est *metrum*.

Prima autem *lex metri cum Graeci tum Latini* haec est, ut accentus grammatici nulla usquequaque habeatur ratio, sed *solae observentur prosodiae*, h. e. quantitates verborum.

Ultima tamen in quovis versu *syllaba*, nisi quando is synaphiae lege tenetur, est *anceps*.

Nec *elisio* fit in ea, si proximus incipiat *a vocali vel h littera.*

Etiam *in fine prioris partis versuum asynartetorum,* quando *in arsin* exeunt, *hiatui et syllabae ancipiti est locus.*

Maior vis metri inest *in priore parte* versus.

Versus *catalecticus* est, cuius ultimo pedi aliquid deest; si duae restant syllabae, *catalecticus in disyllabum,* si una, *catalecticus in syllabam.* Si adest aliquid ultra mensuram ultimi pedis, vocatur *hypercatalecticus.* Versus *asynartetus* est ex diversis numerorum generibus copulatus, cuius in prioris partis fine licentia quaedam podica supra est notata. *Synaphia* est, quando plures versus ita iugantur, ut in fine singulorum neque hiatui sit locus neque syllabae communi, utque possit verbum in duos distrahi versus, quod aliter non licet.

Stropha aut rectius *systema versuum* dicitur, quando duo aut plures versus copulantur ita, ut idem eodem ordine saepius recurrant, ut in *Horatii* lyricis et iambicis carminibus. Proprie tamen in carminibus lyricorum Graecorum et scaenicorum *stropha* dicta ea compages versuum, quae haberet additam antistropham et epodum.

---

§ 2.

INDEX POETARUM

qui maxime pertinent ad rem metricam Romanorum cognoscendam.

I. Usque ad mortem Augusti.

I.

Livius Andronicus, floruit ab a. 240 a. Chr. usque ad finem fere belli Punici secundi.

Cn. *Naevius,* floruit ab a. 235 usque ad finem belli Punici secundi.

T. Maccius *Plautus* 254 — 184.

II.

Q. *Ennius* 239 — 169.

M. *Pacuvius* 220 — 132.

P. *Terentius* 185—159.
L. *Accius* 170—100.
C. *Lucilius* 180—103.
Sueius, Porcius Licinus, Volcatius Sedigitus } floruere circa a. 100.

III.

M. Tullius *Cicero* 106—43.
T. *Lucretius* Carus 99—55.
Egnatius floruit c. idem tempus.
M. Terentius *Varro* 116—27.
Laevius, floruit c. a. 60.
C. Valerius *Catullus* 87—54.
C. Licinius Calvus, C. Helvius Cinna, M. Furius Bibaculus, Cn. Matius, Ticida, Cornificius, Auctor Dirarum et Lydiae, floruere eodem quo Laevius et Catullus et proximo tempore.
P. Terentius *Varro Atacinus* 82—37.

IV.

C. Cilnius *Maecenas* 70—8.
L. *Varius* 74—14.
Cornelius *Gallus* 69—26.
P. *Vergilius* Maro 70—19.
Q. *Horatius* Flaccus 65—8.
Titius, Rufus } floruerunt Augusti tempore.
Albius *Tibullus* 54—19.
Lygdamus, Sulpicia, auctor panegyrici Messallae } fuerunt aequales Tibullo.
S. *Propertius* 47—15.
P. *Ovidius* Naso 43 a. Chr. — 17 p. Chr.
Priapeorum auctores, floruere post bellum Actiacum.
Ciris auctor, Culicis auctor } floruere sub Augusto post Vergilium.

Heroidum quarundam et nucis elegiae auctores, floruere sub Augusto vel Tiberio.

Gratius Faliscus, floruit c. tempus Christi nati.

II. Post mortem Augusti.

V.

Germanicus, floruit c. a. p. Chr. 14.
Manilius, floruit c. a. 20.
Phaedrus, floruit c. a. 40.
Columella, floruit c. a. 60.
L. Annaeus *Seneca* 4 a. Chr. — 65 p. Chr.
Auctor Herculis Oetaei, floruit circa idem tempus.
M. Annaeus *Lucanus* 39—65.
A. *Persius* Flaccus 34—62.
Petronius Arbiter, floruit c. a. 60.
Calpurnius, floruit c. a. 60.
Homerus Latinus, floruit c. a. 60.
Auctor Aetnae, floruit c. a. 60.
C. *Valerius Flaccus*, floruit c. a. 75.
Auctor Octaviae, floruit c. a. 80.
C. *Silius* Italicus 25—101.
P. Papinius *Statius* 45—96.
M. Valerius *Martialis* 42—102.
Turnus, floruit c. a. 90.
Sulpicia, floruit c. a. 96.
C. *Plinius Secundus* 62—113.
D. Iunius *Iuvenalis* 50—130.

VI.

P. Aelius *Hadrianus* 76—138.
Florus, fuit sub Hadriano principe.
Iulius Paullus, Annianus } flor. c. a. 140.
L. *Apuleius*, floruit c. a. 170.

VII.

Symposius, floruit c. a. 200.
Serenus Sammonicus, floruit c. a. 225.

Commodianus, floruit c. a. 230.
Septimius Serenus, floruit c. a. 250.
Alfius Avitus, floruit c. a. 250.
Auctor pervigilii Veneris, floruit c. a. 250.
Terentianus Maurus, floruit c. a. 280.
Nemesianus, floruit c. a. 285.
Optatianus, floruit c. a. 325.
Iuvencus, floruit c. a. 325.
Ausonius 310—390.
Proba, floruit c. a. 380.
Avienus, floruit c. a. 380.
Ambrosius 340—397.
Prudentius 348—410.
Claudianus, floruit c. a. 400.
Avianus, floruit c. a. 400.
Paulinus Nolanus 353—431.
Rutilius Namatianus, floruit c. a. 415.
Martianus Capella, floruit c. a. 420.
Merobaudes, floruit c. a. 430.
Sidonius Apollinaris 430—488.
Sedulius, floruit c. a. 490.
Dracontius, floruit c. a 490.
Luxorius, floruit c. a. 510.
Boetius, floruit c. a. 510.
Priscianus, floruit c. a. 510.
Arator, floruit c. a. 540.
Corippus, floruit c. a. 570.
Venantius Fortunatus, floruit c. a. 570.
Eugenius Toletanus, floruit c. a. 650.

CAPUT I.

De studiis poetarum Latinorum metricis.
[d. r. m. 65—130].

§ 3.

Antiquissimum ac diu unicum Romanorum metrum fuit Saturnium, cuius ut simplicissima, ita rarissima species haec est:

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑

malum dabunt Metelli Naevio poetae.

Sed in ea tam multae sunt exceptiones suppressis saepe thesibus praeter primam quartam septimam, solutis arsibus, aliis admissis licentiis, ut ne hodie quidem versus qui exstant, et numero pauci illi et maiore ex parte satis corrupti, ad certam ubique possint revocari regulam.

Usi sunt eo post mutatam ac ditatam Livii opera metricam Latinam ipse *Livius* in Odyssea, *Naevius* in libris de bello Punico primo, *Cato senex* in carmine de moribus ad filium, *Accius* in epigrammatis, quibus D. Bruti amici sui templa ac monumenta exornavit, *Varro* in saturis Menippeis, postremo *Terentianus Maurus* in libello *πολυμετροτάτῳ* de metris [vv. 2514 sqq.].

Ex his quin Livius ac Naevius antiquissimas versus Saturnii leges licentiasve probe habuerint cognitas non potest dubitari. Contra satis constat Accium et Varronem in adhibendo eo suas potius rationes esse secutos, quibus adducti e Graeco eum exemplo repeterent, quam Livii ac Naevii, neque alia causa esse permotos ut uterentur metro pridem abolito, nisi ut iactarent doctrinam.

Ab antiquissimo autem tempore usi sunt poetae latini cum magno commodo *allitteratione* (quae Graecis minus pla-

cuit) et *homoeoteleuto* (id Russice dicitur *rithm*, Germanice *reim*), quod ne Graecis quidem fuit infrequens. Et homoeoteleuton quidem, quod plerumque adhibebatur in caesura et fine versus, maxime placuit in finalibus monosyllabis, velut:

et teneat cul*ti* iugera multa so*li;*

minus multo in finalibus disyllabis velut:

quod caelum *stellas*, tot habet tua Roma pu*ellas*,

sive hoc mavis:

non satis est pulchra esse poemata: dulcia *sunto*,
et quocumque volunt animum auditoris *agunto*.

Hinc non iam erit mirum, quod tam saepe in caesura et fine versus collocantur substantivum et adiectivum vel invicem. — Homoeoteleuti usus mansit in omni Romanorum poesi et inde fluxit in hymnos christianorum. Contra allitterationis mos cum valde placuisset antiquissimis auctoribus ut Plauto, Ennio, Lucilio, Lucretio, rarior fuisset apud Catullum et *Vergilium*, ab *Horatio* et *Ovidio* et posterioribus poetis abicitur praeter formulas quasdam verborum ut *more modoque* aut ad cumulanda synonyma aut ut luderent verbis. Cf. d. r. m. pg. 453, 4. Dictum de allitteratione et homoeoteleuto ibid. pg. 452—459.

§ 4.

Anno 240 a. Chr. primus *Livius Andronicus* fabulam docuit palliatam. *Hic* igitur *et qui secuti sunt cum scaenici ad Ciceronis usque actatem*, abdicato numero Saturnio, ex Graecorum poesi tragica et comica transtulerunt in Latinam *metra iambica, trochaica, anapaestica, bacchiaca, cretica, et aliquando dactylica* (ut tamen haec essent rarissima). His equidem omnibus, praeter dactylica, et versuum generibus variis admodum et multiformibus usus est *Plautus*, cui multum cedit *Terentius* diversitate numerorum, ut tamen sit superior diligentia et cura. *Omnesque scaenici Latini magis magisque videntur iam abstinuisse a πολυμετρίᾳ Plauti*, ut *Ciceronis aetate* (nam *usque ad hanc* duravit in scaena *mos promiscue adhibendi spondeos*

in iambicis ac trochaicis metris praeter pedem ultimum) maxime ab eis adhiberentur trimetri iambici et tetrametri trochaici catalectici (quae genera metrorum per omne tempus accepta admodum et popularia fuerunt Romanis), *coque magis studuisse arti versuum*, quos adhiberent, perpoliendae ac limandae.

§ 5.

Iam cum versus Livii, Naevii, Plauti multis laborarent incommodis, productis saepissime thesibus, una syllaba quae constarent, omnibus praeter iambum ultimum, solutis longis syllabis praeter ultimam, multitudine elisionum ac synizesium, licentia quadam hiatus, denique productis finalibus quibusdam, maxime in *r* et *t* exeuntibus, quae sensim iam solerent corripi, *Q. Ennius adhibito ad Annales, carmen epicum, hexametro dactylico, quem a Graecis inventum primus nobilitavit Homerus, novas vias patefecit metricae Romanorum. Idem et disticha elegiaca primus composuit.* Praeterea cum non modo poeta esset, sed et grammaticus, adhibuit primus inter Romanos mirificum illud et abstrusum metrum, quod vocatur *Sotadeum.* In saturis, quarum pars videntur fuisse didactica eius carmina, etiam usus est *trimetris iambicis et trochaicis tetrametris* catalecticis, adhibitis promiscue spondeis, sed *minore aliquanto cum licentia* quam Plautus.

Sermo Latinus cum satis esset facilis ad metra dactylica — quamquam minus aliquanto ille aptus Graeco —, *bene res cessit Ennio.* Nam etsi apud eum inveniuntur hexametri quidam caesura carentes aut spondeis solis constantes aut alias ob causas improbandi, maior tamen pars versuum eius elegantia praestat et nitore. Itaque primus eam curam rei metricae habuit primusque eam artis tenuit viam, quam secuti *Vergilius, Horatius, Ovidius* metricam latinam ad summam adduxerunt perfectionem.

Idem tamen interdum fuit studio exili ac moroso in observando Homero, veluti cum tmesin Homericam imitatus dixit *saxo cere comminuit brum* aut ubi apocope male abusus posuit *cael, gau, do* pro *caelum, gaudium, domum.*

Post Ennium usque ad Ciceronis tempus nova metra a dactyli-

cis Latinis non sunt adhibita. Qui potius laudem quaesiverunt excolendis perpoliendisque eis, quae primus novarat ille. Ex his *Lucilius* omisso sotadeo in saturis adhibuit trimetros iambicos et trochaicos tetrametros catalecticos, elegantiores illos aliquanto quam sunt Plauti vel Terentii, et disticha omniumque frequentissime hexametros. Cuius secuti exemplum posterioris temporis poetae, *Horatius*, Persius, Iuvenalis, Turnus, ad saturas scribendas solo sunt usi hexametro. — *Accius* in carminibus didacticis adhibuit hexametros, trimetros iambicos, tetrametros trochaicos catal., sotadeos.

De Ennii et eorum qui insecuti sunt eum tempore studiis metricis dictum d. r. m. 65—73.

§ 6.

Verum *Ciceronis aetate* rationes metricae Ennii et antiquiorum multum sunt immutatae. *Nam cum alii ut Cicero et Lucretius horum sequerentur paucitatem metrorum, alii ut Laevius, Varro, Catullus, imitati poetas Alexandrinos, mirum quantum adamaverunt πολυμετρίαν.* Itaque apud Laevium in tanta reliquiarum eius carminum paucitate inveniuntur metra X, apud Varronem in saturarum Menippearum fragmentis circa XXV, in Catulli libro XIV. Ceterum Laevii et qui isdem metrorum rationibus sunt usi atque ille carminum reliquiae inveniuntur in appendice editionis Catulli libri [Lips. 1870].

Ex his Laevius et Varro etiam iambica quaedam et trochaica metra eadem qua Ennius et Lucilius licentia podica adhibuere, cum Catullus in iambis (nam trochaeis non est usus) spondeo numquam concesserit locum nisi in imparibus pedibus. Hic autem cum Calvo, Cinna, Bibaculo, aliis plurimum delectatus est *trimetris hipponacteis* eadem severitate artis perpolitis, qua ipsi usi sunt Graeci, et *hendecasyllabis phalaeciis. Et hi quidem populares admodum et accepti fuere Romanis usque ad finem litterarum Latinarum, illi certe usque ad saeculi I p. Chr. exitum. Praeterea Catullus adhibitis systematis glyconeorum et pherecrateorem imitatus est Ionum et Anacreontis poesin lyricam nec minus stropha sapphica secutus*

est Aeolensium exemplum ac Sapphus. Contra *epodica carmina* illa aetate nondum videntur provenisse.

Praeterea dignum memoria tum primum inter Romanos M. Varronem *secutum Menippi philosophi exemplum* scripsisse saturas, quae *partim prosa* constarent, *partim versibus*, ita quidem ut altera pars ab altera maiore semper sensus interstitio, quod puncto indicatur, divideretur, excepto quando oratio directa cum verbo iungeretur dicendi ut:

iurgare coepit dicens:
quae scis, age quei in vulgum vulgas artemque expromis inertem?

Secuti eius rationes et exemplum *Seneca* in apocolocyntosi, *Petronius*, *Martianus*, *Boetius*.

Ceterum Ciceroniani temporis poetae ut varietati metrorum plerique, ita omnes studuere arti. Veluti Lucretii hexametri severissimis sunt legibus adstricti, minus tamen iucundi ob id ipsum, quia tam raro remittitur normae severitas. Maiore suavitate numerorum, exceptis distichis, Laevii sunt versus et Catulli et sociorum, ut tamen sint inferiores aliquanto proximi saeculi carminibus. Ceterum omnes elegantia numerorum videtur vicisse *Varro Atacinus*, ut dignus fuerit, qui tempora videret *Vergilii*.

De Ciceronis aequalium studiis metricis dictum d. r. m. 73—90.

§ 7.

Sed iam transeo *ad Augusti aetatem.*

Hac cum Vergilius et Ovidius hexametri dactylici leges ad summam adduxissent perfectionem, etiam distichorum ars post Cornelium Gallum a Tibullo et Ovidio ita est exculta, vix quidquam ut viderctur posse addi. Durior utroque Propertius, in prioribus maxime tribus libris, magisque similis Catulli.

At *Horatii saturarum et epistularum leges metricae non sunt exigendae ad Vergilii et Ovidii placita.* Ille enim ut in poesi humili et ad vitae usus accomodata imitaretur sermonis quotidiani gratam neglegentiam, multa aspera et inconcinna sibi permisit in versibus pangendis. Tamen hexametri epistu-

larum superant aliquantum saturarum hexametros elegantia et cura. *Horatii* saturarum exemplum, sed minore cum licentia, imitati sunt Persius et Iuvenalis.

Vergilii Ovidiique cum ingens fuerit auctoritas apud posterioris temporis poetas, de horum rationibus metricis exponendum accuratius. Igitur *Vergilius cum spondeorum multitudine, elisionum ac synizesium frequentia, hiatuum et productarum vi caesurae vel arsis finalium numero durior sit longe Ovidio, hunc tamen pariter atque omnes poetas Latinos superat arte describendi et quasi depingendi per ipsos rhythmos res et affectus, quos narrat.* Noti sunt vel pueris versus illi, quibus mobilitatem cursus vel laboris tarditatem multiplicatis reddit dactylis sive spondeis:

quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
illi inter sese magna vi bracchia tollunt.

Plura talium facetiarum exempla adlata sunt a nobis pgg. 140, 1 l. n.

Idem tamen interdum, Ennium secutus, velut grammaticus esset et non poeta, Homeri maxime imitatione exilibus indulget facetiis. Ovidius castigatior longe et limatior, et licentiarum cuiusvis generis multo minus patiens quam ille. Itaque nihil venustius potest cogitari singulis versibus *Ovidianis;* sed continuos cum legimus multos, ipsa aequalitate earum fatigamur taedioque afficimur.

Lyricae poesis arte cultae cum ante Augusti aetatem exempla non fuissent nisi Catulli carmina paucula et quaedam fortasse Laevii polymetron (nam erotopaegnia eiusdem non magis fuerunt lyrica carmina quam epica, sed idyllia), huic obviam iit incommodo litterarum Latinarum *Horatius.* Qui dum viam sibi munit ad poesin lyricam, *imitatus Archilochum Parium* librum conscripsit *epodon,* qui praeter ultimum constant systematis binorum versuum iambici vel dactylici numeri. De eo ita refert ipse [ep. I, 19, 23 sqq.]:

Parios ego primus iambos
ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem.

Deinde *ad lyrica carmina scribenda* cum animum applicasset, *Alcaeum et Sappho, Aeolicae gentis poetas* observavit, ita quidem ut potissimum ad *Alcaei* se formaret exemplum. De qua re ipse saepius memorat.

Metra omnia utrum ab his adsumpserit necne, non constat; nec abhorret a probabilitate quaedam odarum eius versuum genera *ex Ionum poesi lyrica* ab eo adscita. Neque satis apparet legem illam qua *omnia lyrica eius carmina quaternorum versuum continentur strophis* (etenim IV, 8 corruptum est) utrum ipse primus novaverit, an et hanc praeierit Alcaeus. Ceterum *synaphiae leges* in *Horatii* pariter atque in Alcaei et Sapphus carminibus modo observantur, modo negleguntur.

Praeterea notandum *Horatium*, memorem indolis Romanae, *leges metricas versuum, quos traduxit in Latium*, omnium *ad severiorem normam revocasse. Dorensium et choricae poesis ad imitationem qui concesserit non invenio praeter Titium* illum, quem Pindarici fontis haustus non expalluisse tradit Horatius ep. I, 3, 9, *et Rufum*, quem Pindaricae lyrae fidicinem vocat Ovidius ep. ex P. IV, 16, 28.

Ceterum etiamsi Horatio parum placuisse apparet et Catullum et Calvum, non tamen defuere Augusti aetate, qui horum sequerentur placita metrica exclusa tamen πολυμετρία. Testantur rem *Maecenatis* carminum reliquiae et *Vergilii*, quae dicuntur esse, catalecta et plurium auctorum *Priapea.* In catalectis tamen unum inest carmen epodicum [5], quod ad Horatii imitationem scriptum esse apparet.

Eodem tempore tragoediae Latinae ars metrica prorsus est immutata. Etenim cum antiquiores, ut supra memoravi, in iambis et trochaeis promiscue adhibuissent spondeos praeter iambum ultimum, tragici Augusto aequales, *Asinius, Varius, Gracchus, Ovidius*, ut ipsorum carminum reliquiis et Senecae probatur fabulis, secuti Graecos *noluerunt spondeo esse locum in pedibus paribus iamborum et imparibus trochaeorum.* Et *choros*, quibus caruerat antiquior Romanorum tragoedia, ad modum Euripidis adhibuerunt, ut tamen dimetris anapaesticis

substituerent, quod minime videtur elegans, monometros. Ceterum versus Varii anapaestici, ut vulgo putatur, sed ut ego existimo iambici, qui leguntur apud Marium Victorinum pg. 2503, quin graviter sint corrupti vix potest dubitari.

De *comicorum* Augusto aequalium rationibus metricis nihil certi potest dici.

Dictum de studiis metricis poetarum Augusti temporis d. r. m. 90—94.

§ 8.

Post Augusti tempus desierunt poetae Latini metrorum copiam augere petendo a Graecis poetis exempla, sed in copia metrorum a prioribus parta acquieverunt. Qui si quando adhibuerunt metra, quae apud auctores, qui ad Augusti obitum fuerunt, non iam inveniantur, aut casu id evenit (nam pleraque carmina Latina antiquiora interciderunt) aut petita fuere illa ex enchiridiis metrorum, qualia multa scholarum usu terebantur, aut denique novata sunt ab ipsis.

Exemplo autem posterioribus poetis maxime fuerunt Vergilius Ovidiusque et aliquanto minus Horatius.

Quod cum ita sit, primum de metris, quae adhibita sunt ab eis, videamus.

Metra longe usitatissima etiam *post Augustum* fuere *hexameter et pentameter dactylicus et trimeter iambicus ac trochaicus tetrameter catalecticus.*

Poetae lyrici iam *abstinuerunt a systematis metrorum Aeolicorum tetrastichis,* quae novaverat *Horatius, praeter sapphicum,* quod omni postea tempore fuit populare. Nam vel *alcaicum et asclepiadea,* cum tanto studio exculta essent ab *Horatio,* iam rarissime sunt adhibita ab istis. Magis placuere eis *epodica* eiusdem *systemata.* Praeterea a saec. IV p. Chr. *poetae quidam nova adhibuere systemata,* maiore modo illa, modo minore circuitu, ita quidem, ut exempla versuum petita essent maxime ex *Horatii* carminibus lyricis vel iambicis.

In hymnis christiani potissimum *sunt usi dimetrorum iambicorum systematis, quaternis quae constarent versibus.*

Versus autem a Catullo eiusque aequalibus, mox ab

Horatio novati, exclusis quidem systematis, quae adhibuerant illi, admodum placuere *poetis qui fuerunt post Augustum.*

In eis tamen, *qui fuere saec. p. Chr. primo,* notanda *mira paucitas metrorum.* Veluti *Statii* in lyricis sunt quattuor, *Martialis* septem, *Senecae* praeter cantica quaedam Oedipi et Agamemnonis, quae liberius sunt habita, paullo plus decem.

Disserendum hoc loco *de Senecae canticis.* In quibus rarissima nec ea feliciter iugata habet systemata versuum, sed maxima pars illorum aut anapaesticis monometris est perscripta aut versibus, quos in lyricis Horatius adhibuit scriptis, asclepiadeo potissimum dodecasyllabo vel sapphico hendecasyllabo, sed utique sine systematis. Praeterea *in Agamemnone et Oedipo* [Ag. 589—636; 808—866; Oed. 403—415; 472—502; 709—737] habentur quaedam cantica, quae Graecorum ad instar licentius sint composita, aut ex versibus sive ex versuum particulis *Horatii* lyricorum carminum, aut ex eis versibus, qui in aliis eiusdem Senecae cantibus inveniuntur. Cf. d. r. m. 120—23. Plurimum autem constant ex asclepiadei, alcaici, sapphici metri partibus illis quae fiunt per caesuram:

– – – ∪ ∪ –
– ∪ ∪ – ∪ –
– ∪ – – –
∪ ∪ – ∪ – ∪
– – ∪ – –

Ex his autem versuum particulis nova quaedam metra composuerunt *poetae temporis ultimi;* cf. d. r. m. 113, 14.

Secundo saeculo cum Hadriani Caesaris exemplo et auctoritate *Frontonis* coalita rursus esset antiquiorum Augusto poetarum imitatio, denuo homines sunt delectati Catulli ac Laevii *πολυμετρίᾳ. Cuius rei exemplum maxime illustre fuerunt Florus et Annianus et mox Septimius Serenus,* poetae multiformes, tenelli, arguti, nitoris supra quam credi potest studiosi, quamquam certum est simplicem recti pulchrique sensum nullo fuco nullisque lenociniis posse compensari. Horum et similium saeculi II et III poetarum quotquot extant reliquiae carminum habes collectas in appendice editionis librorum

Rutilii Namatiani [Lips. 1870]. *Septimii autem rationes sunt secuti Terentianus Maurus, Ausonius, Prudentius, Martianus, Boetius, Luxorius* [d. r. m. 96—99].

Denique memoria dignum, quod Tiberii et Claudii tempore *Phaedrus*, homo provincialis ac libertinus, imitatione veterum comicorum et maxime ut puto *Syri* sententiarum, quae tum vulgo in ore erant hominum, fabulas conscripsit trimetris iambicis, ita, ut paribus iamborum locis admitteret spondeum. Idem tamen alioqui magna cura usus in pangendis metris, ut quas *Plautus* ac *Terentius* saepe adhiberent exceptiones, raro, quas illi rarius, numquam admitteret [cf. ed. maioris Phaedri pgg. IX sqq.]. Eandem licentiam poeticam admisere *auctores temporis Frontoniani* propter imitationem poetarum Latinorum antiquissimorum, et *ultimis saeculis imperii Romani nonnulli* propter defectum artis et iudicii perversitatem.

His expositis iam demonstrandum, *qua arte usi sint* in metris adhibendis *poetae qui fuerunt post Augustum.*

Ab his maxime observatos Vergilium et Ovidium iam supra dixi; ceterum plures multo secuti *Ovidium*, et adeo qui magis probaverunt *Vergilii* rationes metricas, tamen saepe ad Ovidii exemplum se applicarunt in versibus pangendis [d. r. m. 136]. *Vergilium autem potissimum imitati Persius, Valerius Flaccus, Statius, Silius, Ausonius, Prudentius, Paulinus Nolanus, alii, Ovidium auctores Priapeorum, Lucanus, Columella, Homerus Latinus, Petronius, Seneca, Martialis, Nemesianus, Palladius, Claudianus, Rutilius Namatianus, Merobaudes, Avianus, Sedulius, Arator, Boetius, plerique anthologiae Latinae auctores, alii. Quidam ambigui, ut Manilius et Iuvenalis.*

Ex his plerique leges metrorum etiam maiore cum cura servarunt quam Augustei temporis poetae, ita quidem, ut, quas illi saepe adhibuerant licentias, raro, quas raro, vix umquam adhiberent. Omnes autem qui fuerunt *post Traianum* metrorum arte vincit multum *Claudianus.* Atque adeo *etiam christiani poetae usque ad finem saeculi p. Chr. sexti* multi sunt in regulis metrorum observandis, quamquam interdum violarunt easdem deficiente sensim doctrina, et saepius in pro-

sodiae leges peccarunt. *Praeterea a saeculo III p. Chr.*, fortasse et prius, componi coepta sunt *carmina rhythmica*, in quibus neglecta quantitate syllabarum accentus potissimum grammaticus in posteriore certe versus parte servatur [cf. pgg. 445 sqq. l. n.]. Denique qui *medio aevo*, quod dicitur, carmina fecerunt latina, *praeter Vergilium Ovidiumque et Horatium* plurimum sunt secuti *poetas Romanorum christianos, Prudentium, Boetium, Venantium*, alios [cf. d. r. m. 99].

De poetis qui fuerunt post Augustum dictum d. r. m. 94—100.

§ 9.

Iam Romanorum artem metricam comparanti cum Graecorum apparet hanc praestare proprietate, varietate, venustate, libertate, interdum etiam levitate, illam cura, severitate, aequalitate, concinnitate, ac nonnumquam morositate. Nimirum Romani *exclusis Graecorum licentiis plerisque* omnia ad normas revocarunt certissimas firmissimasque, ut recte dicat Martialis [epigr. IX, 11, 17] Musas ab eis cultas severiores.

In eligendis tamen apte ad materiam carminis metris idem aliquando inferiores Graecis, maxime illi, qui fuerunt *post Hadrianum*, quippe qui varia vel abstrusa metra pluris fecerint quam apta materiae et congrua. Veluti *saeculo III Alfius Avitus* libros excellentium, *carmen epicum, dimetris iambicis conscripsit.* Cet. cf. d. r. m. 100—104.

---

§ 10.

Vsitatissima apud dactylicos Romanorum metra (eorum a me h. l. adscribentur optimae et perfectissimae eaedemque frequentissimae species).

Simplicia [d. r. m. 105—112].

I. **Dactylica** [d. r. m. 105, 6].

1. hexameter

$$- \breve{\smile} - \breve{\smile} - \mid \breve{\smile} - \breve{\smile} - \breve{\smile} - \smile$$

Hic adhibetur in epicis carminibus et plerumque in satiricis ac didacticis bucolicisque, item in epistulis *Horatii* nec raro

in carminibus brevioribus, rarissime tamen in epigrammatis [cf. Martialis epigr. VI, 65]. In tragoedia usus hoc metro Seneca partim in choricis ad canendas laudes deorum, partim in dialogo ad referendum oraculum [d. r. m. 105].

De hexametro myuro dictum d. r. m. 110 sq.

II. pentameter

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – | – ⏑ – ⏑ –

Hic quando additur hexametro, oritur distichon, quod adhibetur elegiis scribendis et epigrammatis, etiam ad didactica carmina, ut a Propertio in V libro, ab *Ovidio* in fastis.

III. tetrameter

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑

Adhibetur ab *Horatio* in parte versus Archilochii maioris, et a Seneca et Pomponio tragicis singillatim.

IV. tetrameter catalecticus

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑

V. trimeter catalecticus

– ⏑ – ⏑ – ⏑ –

VI. dimeter catalecticus sive versus adonius

– ⏑ – ⏑

Versus hexametro minores ab auctoribus optimis vix adhibentur nisi iuncti cum aliis per systemata.

II. **Anapaestica** [d. r. m. 106—7].

I. monometri

⏑⏑ – ⏑⏑ –

His usi in choricis tragici Augusto aequales et Seneca [d. r. m. 106]. Synaphiae lege non tenentur.

II. dimetri

⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ –

III. dimetri catalectici sive paroemiaci

⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑

Hi ab auctoribus usque ad saec. p. Chr. secundum solent poni tantum in fine systematis anapaestici ex dimetris integris constantis.

IV. tetrametri catalectici sive Aristophanei

⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑

Dimetri et tetrametri quam raro sint adhibiti a dactylicis Romanorum poetis, expositum est d. r. m. 106, 7. Ibi etiam de aliis metris anapaesticis dictum.

III. Iambica [d. r. m. 107, 8; 110—12].

I. trimeter sive senarius. Eius est triplex species:

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏒ – ⏑ – ⏒ | – ⏑ – ⏒ – ⏑ –
⏒ – ⏒ – ⏒ | – ⏒ – ⏒ – ⏑ –

Prima usi Catullus, Priapeorum auctores, *Vergilius* in catalectis, *Horatius* in epodis, secunda Varro, Catullus, *Horatius*, *Vergilius* in catalectis, Martialis, tragici ab Augusti inde aetate, alii, denique christiani poetae etiam ad didactica carmina et hymnos, tertia Lucilius, Varro, *Phaedrus*, alii. Habet autem trimeter iambicus magnam vim ac velocitatem, unde et satiris est aptus et comoediis tragoediisque.

II. trimeter scazon sive hipponacteus [d. r. m. 111, 12]:

⏒ – ⏑ – ⏒ | – ⏑ – ⏑ ⏓ – ⏓

Is primum adhibitus a Varrone et Catullo et in mimiambis a Matio, mox ab aliis multis usque ad finem saec. p. Chr. I.

III. trimeter catalecticus

⏒ – ⏑ – ⏒ | – ⏑ – ⏑ – ⏑

Eo primus usus *Horatius*. Invenitur autem raro et tantum per systemata.

IV. dimeter hypercatalecticus sive alcaicus enneasyllabus

⏔ – ⏑ – – – ⏑ – ⏑

Hic tertius est versus systematis alcaici.

V. dimeter

⏒ – ⏑ – ⏔ – ⏑ –

Vsi hoc ut *Horatius* multi epodi instar post trimetrum, sed alii, ut Laevius et poetae a saec. p. Chr. tertio, solo et continuo [d. r. m. 107].

VI. dimeter catalecticus

⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Hoc primus usus Petronius.

VII. tetrameter catalecticus

⏒ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Vsi eo Varro et Catullus [c. 25].

IV. **Trochaica** [d. r. m. 108].

I. tetrameter catalecticus, cuius duplex est species:

– ∪ – ⏑ – ∪ – ⏑ | – ∪ – ⏑ – ∪ –

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ∪ –

Hic admodum popularis fuit et acceptus Romanis. Etiam dramatum diverbiis visus est aptus. Usi sunt priore genere post Varronem et Senecam [de quo dictum l. n. pg. 108] saepe christiani, maxime in hymnis, posteriore Lucilius et Varro atque interdum christiani, etiam in hymnis.

II. dimeter

– ∪ – ⏑ – ∪ – ∪

Hic ultimi tantum temporis placuit auctoribus.

III. dimeter catalecticus

– ∪ – ⏑ – ∪ –

Is in lyrico systemate adhibitus ab *Horatio*, mox a Seneca continuo carmine [Oed. 882—914].

IV. dimeter catalecticus in disyllabum sive v. ithyphallicus

– ∪ – ∪ – ∪

Eo usus *Horatius* ut parte versus archilochii maioris.

V. **Ionica a minori** [d. r. m. 108—10].

I. anacreontei

∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ⏑

Hi a Laevio inde saepe adhibiti a Romanis.

II. galliambi

∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ⏑ | ω ⏑ ∪ ω̂ ∪ ⏑

Hic in laudibus Cybeles, magnae deorum matris, solet adhiberi, ut a Varrone, Catullo, Maecenate.

III. decameter

∪∪⏑∪∪⏑∪∪⏑∪∪⏑⏑|∪∪⏑∪∪⏑∪∪⏑∪∪⏑⏑|∪∪⏑∪∪⏑⏑

Eo usus *Horatius* III, 12.

VI. **Ionica a maiori** [d. r. m. 110].

tetrameter catalecticus sive sotadeus

⏑ ⏑ ∪ ∪ ⏑ ⏑ ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ⏑

Eo sed magna cum licentia usi Ennius, Accius, Varro, deinde severissimis adstricto legibus Petronius, Martialis, Terentianus.

Adhibitus est saepe a veteribus in rebus obscaenis vel lascivis, sed etiam ad praecepta rerum qualiumcumque.

De ionicis numeris Laevii vide d. r. m. 110; 116; cll. 78.

De choriambicis metris et creticis, quorum vix fuit usus apud dactylicos dictum l. n. pg. 110.

§ 11.

Metra composita [d. r. m. 112—114].

Logaoedica.

I. glyconeus



II. pherecrateus

III. asclepiadeus minor

IV. asclepiadeus maior



His primi usi Catullus (excepto quod apud eum ascl. minor non invenitur) et *Horatius*, mox alii haud pauci, nisi quod ascl. maior invenitur raro. Glyconeos et asclepiadeos minores extra systemata primus adhibuit Seneca, tum alii.

V. Ex coniuncto glyconeo et pherecrateo oritur versus priapeus:

Is ut mollis et delicatus in honorem Priapi dei solet adhiberi. Invenitur apud Catullum et in Priapeis.

VI. phalaecius



Hoc a Catulli tempore usque ad medium aevum plurimum delectati sunt poetae.

VII. sapphicus maior



Hoc primi usi Catullus et *Horatius*, mox alii plurimi et quidem praeter Senecam fere per systema cum adonio.

VIII. sapphicus minor

Vsi eo per systemata *Horatius* et Claudianus.

IX. mixtus ex sapphico maiore et minore

– ∪ – – – | ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – ∪

Vsus eo *Horatius* in lyricis I, 8.

X. alcaicus hendecasyllabus

⏑ – ∪ – – | – ∪ ∪ – ∪ –

Hoc *Horatius* et Statius usi per systemata, Prudentius et Claudianus sine systematis.

XI. alcaicus decasyllabus

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪

Hic quartum locum obtinet systematis alcaici.

Versus asynarteti.

XII. archilochius maior

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ∪ ∪ | – ∪ – ∪ – ∪

Invenitur apud *Horatium* et quosdam ultimi temporis auctores.

XIII. elegiambicus

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – | ⏔ – ∪ – ⏑ – ∪ –

XIV. iambelegicus

⏔ – ∪ – ⏑ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ –

Inveniuntur XIII et XIV ap. *Hor.* epod. 11; 13.

§ 12.

De systematis Catulli et Horatii [cf. d. r. m. 114—18].

I. Catulli.

I. systema glyconeum prius. Constat ternis glyconeis et singulis pherecrateis [carm. 34].

– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪

II. glyconeum alterum constat ternis glyconeis et singulis glyconeis et pherecrateis [61].

– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ ⏒
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪ –
– ⏔ – ∪ ∪ – ∪

III. asclepiadeum. Constat binis asclepiadeis maioribus [30].

– – – ∪ ⏑ – | – ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ –
– – – ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ –

IV. sapphicum. Constat ternis sapphicis maioribus et adoniis singulis [11. 51].

– ∪ – ⏑ – | ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – ⏑ – | ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – ⏑ – | ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ ∪ – ∪

II. Horatii.

Epodi, ut ipsum nomen indicat, binorum versuum constant systematis; systematis quaternorum contineri odas iam supra memoravi.

I. epodon.

I. systema iambicum. Constat trimetris et dimetris iambicis [carm. 1 — 10].

⏑ – ∪ – ⏑ | – ∪ – ⏑ – ∪ –
⏑ – ∪ – ⏑ – ∪ –

II. pythiambicum prius. Constat hexametro dactylico et dimetro iambico [14; 15].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ∪ ∪ – ∪
⏑ – ∪ – ⏑ – ∪ –

III. pythiambicum alterum. Constat hex. dact. et trimetro iambico [16].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪
∪ – ∪ – ∪ | – ∪ – ∪ – ∪ –

IV. alcmanium. Constat dact. hex. et tetrametro [12].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ∪ ∪ – ∪
– ⏓ – ⏓ – ∪ ∪ – ∪

V. archilochium secundum. Constat hex. dact. et iambelegico v. [13].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪
⏑ – ∪ – ⏑ – ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ ∪ –

VI. archilochium tertium. Constat trimetro iambico et v. elegiambico [11].

⏑ – ∪ – ⏑ | – ∪ – ⏑ – ∪ –
– ∪ ∪ – ∪ ∪ – | ⏑ – ∪ – ⏑ – ∪ –

Carmen 17 sine systemate per continuos decurrit trimetros.

II. odarum.

I. asclepiadeum primum. Constat asclepiadeo minore [I, 1; III, 30; IV, 8].

II. asclepiadeum secundum. Constat ternis asclepiadeis minoribus et singulis glyconeis. Eo Horatius usus novies.

III. asclepiadeum tertium. Constat binis ascl. min. et singulis pherecrateis et glyconeis. Eo Hor. usus septies.

IV. asclepiadeum quartum. Constat singulis glyconeis et asclepiadeis duplicatis. Vsus eo Hor. duodecies.

V. asclepiadeum quintum. Constat asclepiadeo maiore [I, 11. 18. IV, 10].

VI. sapphicum prius. Constat sapphico maiore ter repetito et adonio. Eo usus Hor. vicies sex.



VII. sapphicum alterum. Constat duplicatis versu sapphico minore et eo qui mixtus est ex maiore sapphico et minore [I, 8].

– ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – – – | ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – – – | ∪ ∪ – | – ∪ ∪ – ∪ – ∪

VIII. alcaicum. Constat binis vv. alcaicis hendecasyllabis, singulis enneasyllabis et decasyllabis. Id metrum omnium frequentissimum in Horatii carminibus; nam adhibitum tricies septies.

⏑ – ∪ – – | – ∪ ∪ – ∪ –
⏑ – ∪ – – | – ∪ ∪ – ∪ –
⏑ – ∪ – – – ∪ – ∪
– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – ∪

IX. hipponacteum. Constat dimetro trochaico et trimetro iambico catalecticis [II, 18].

– ∪ – ∪ – ∪ –
⏒ – ∪ – ⏒ | – ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – ∪ – ∪ –
⏒ – ∪ – ⏒ | – ∪ – ∪ – ∪

X. ionicum. Constat ionicis a minori decies repetitis [III, 12].

∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – –
∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – –
∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – –
∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – ∪∪ – – | ∪∪ – – ∪∪ – –

XI. alcmanium. Constat hexametris et tetrametris dactylicis [I, 7; 28].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪
– ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪
– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪
– ⏓ – ⏓ – ⏔ – ∪

XII. archilochium primum. Constat v. heroico et trimetro dactylico catalectico [IV, 7].

– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏓ – ∪
– ∪ ∪ – ∪ ∪ –
– ⏓ – ⏓ – | ⏓ – ⏓ – ⏓ – ∪
– ∪ ∪ – ∪ ∪ –

XIII. archilochium quartum. Constat v. archilochio maiore et trimetro iambico catalectico [I, 4].

Ex his versuum systematis IX collocata in ipso limine odarum, ut grata illa *πολυμετρία* statim ab initio lectorum caperentur animi.

CAPUT II.

De pedibus versuum [d. r. m. 131—167].

§ 13.

In enarrandis legibus metrorum hunc optinebimus ordinem, *ut primum de dactylicis vel anapaesticis, tum de iambicis vel trochaicis, postremo de logaoedicis versibus dicamus, utque in singulis generibus numerorum a nobilissimo quoque metro ordiamur descriptionem.*

Omne metrum certis legibus constat, quae tamen saepe mutantur per licentiam. In latinis tamen versibus multo minus invenitur exceptionum quam in graecis, eaeque ipsae praeter paucissimas tenentur certa lege et ratione, eaque iudicii temperantur sobrietate et elegantia qua vel Graecos poetas superavere Romani.

Omnia autem genera exceptionum sub septem revocari posse videntur species [d. r. m. 132—136].

1) Primum igitur est institutum, *ut initio ordinis metrici maior adsit libertas numerorum quam fini. Ordo autem metricus est series pedum, caesura aut fine versus terminata, ut*

arma virumque cano.
Troiae qui primus ab oris.
arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris.

2) deinde *in versibus longis plus* admittitur *licentiae* metricae quam *in brevibus*; itemque *in carminibus magno versuum numero constantibus maiorem adhibent* poetae *libertatem* metri quam *in breviculis:* minuta enim, ut metra, ita carmina elegantia potissimam et subtilitate oportet excellere.

Oritur etiam *ex materiae diversitate diversitas* quaedam *libertatis* metricae, ut aliae sint leges carminum *tragicorum*, aliae *epicorum*, aliae *lyricorum*, aliae *elegiacorum*, aliae *didacticorum*, aliae denique *satiricorum*. — Quae tamen res *ad Graecos* multo magis pertinet quam *ad Romanos*.

3) porro non est quod mirere eum, *qui primus adhibuerit metrum, maiorem* sibi indulgere in eo tractando *licentiam*, quam *posteriores*. Ita *Ennii hexametri* inferiores *Vergilianis*, ita *Horatii versus lyrici* minus accurati quam *Senecae*. Nec non refert multum, utrum poeta adhibeat metrum multo an exiguo usu tritum ante ipsum. Ita *Catulli hexametri* continui multo meliores quam *disticha* eiusdem, quia hexametri ante eum persaepe, disticha raro admodum adhibita erant a poetis Latinis.

4) praeterea plerumque (non semper) auctorum *carmina tempore posteriora magis* sunt *castigata* quam *priora*, ut *Horatii epistulae* arte metrica superant *saturas*, ut *Achilleis Statii Thebaida*.

5) nec minus refert permagni, *quo quis exemplo metricae artis utatur* in pangendis versibus. Ita apud Romanos severioribus multo metricae legibus sunt usi qui *Ovidii* quam qui *Vergilii* sequerentur exemplum. — Praeterea multi errores metrici in carmina Latina, maxime a saec. p. Chr. tertio, fluxerunt ex pravis grammaticorum praeceptis aut ex poetarum antiquiorum exemplis male intellectis.

6) tum licentiam conciliarunt metro ab Homeri inde tempore usque ad medium aevum, quod dicitur, iniecta *nomina propria, quibus veteres poetae multo saepius sunt usi quam recentes*, et maxime quidem ei parti metri, quae praecedit nomini proprio. Praeterea maiore cum licentia solent adhiberi *vocabula technica*, quae vocantur, aut a christianis poetis *sacra* — quippe haec proxime ad propriorum accedunt naturam —, *nec minus frequentia communis vitae usu ac velut detrita, ut pronomina, adverbia, praepositiones, coniunctiones, vel formulae verborum ut 'quo modo', 'quo pacto', vel quattuor aut plurium syllabarum vocabula.*

7) denique exceptiones interdum fiunt in versibus propter

oratoriam concitationem, quae oritur ex gravi affectione animi, qualis aut *anaphora* aut *antithesi* aut *aliis figuris rhetoricis* indicatur.

---

§ 14.

Sed iam de pedum rationibus videamus [d. r. m. 137—140].

Igitur prima, ut supra dixi, lex est versus Graeci et Latini, ut ultima syllaba cuiusvis metri possit esse communis aut, ut nunc dicitur, anceps, h. e. ut et brevi longa et longae brevis possit substitui, neve hiatus oriatur, si proximus versus incipiat a vocali vel *h*, excepto quando versus partem facit systematis, quod synaphiae lege teneatur. *Notandum tamen veteres, quo sonori magis ac firmi fierent versuum exitus, potius solitos collocare in ultima parte syllabas longas aut eas quae in consonam exirent.* Etiam *in mediis versibus asynartetis* Romani admittunt syllabam ancipitem vel hiatum, si prior pars in arsin exeat.

Synaphiae lege vetatur, ne in finibus versuum, qui partem efficiunt systematis, *praeter ultimum*, possit esse syllaba communis aut hiatus, contra permittitur, ut unum verbum per duo versus protendatur aut ut in fine prioris fiat elisio. *Sed ea lege perraro adstricti dactylicorum Latinorum numeri.* Invenitur in Catulli systematis glyconeis et sapphico, in *Horatii* ionicis a minori, sed non in anapaestis Senecae. In reliquis *Horatii* carminibus lyricis adhibetur interdum, sed raro, aut elisione admissa aut verbo in duas diviso partes [II, 2, 18; 3, 27; 16, 34; III, 29, 35; IV, 1, 35; 2, 22; 23; c. saec. 47. — I, 2, 19; I, 25, 11; II, 16, 7; III, 27, 59]. Qua in re notandum, quod in fine versus semper locatur longa syllaba, etiam ubi exspectatur brevis. — Post *Horatium* synaphiae vestigia praeter cantica quaedam liberiora Senecae [Oed. 403—415, 472—502; 704—737; Agam. 589—636; 808—866] et paucos versus Terentiani et poetae ignoti, quem affert, in carmine latino non iam inveniuntur.

Secunda lex est, ne in versibus dactylicis possit solvi arsis.

Tertia, ut pro dactylo substitui possit spondeus in ordine

metrico, qui plus quam tres habeat dactylos, et pro anapaesto ubique ut locus sit spondeo.

Quarta, ut in versibus anapaesticis, iambicis trochaicis, si in thesi locus sit spondeo, arses possint solvi praeter ultimam. In iambicis tamen et trochaicis, quo est brevius metrum, eo rarius arsis solvitur.

Quinta, ut in versibus iambicis vel trochaicis pro spondeo locum iambi vel trochaei optinente possit poni anapaestus vel dactylus. Qui tamen raro admodum admittuntur excepto Seneca tragico. In logaoedicis autem metris ea licentia non adhibetur.

Sexta, ut in fine versuum vel tres vel quattuor ultimi semipedes principalem propriumque rigide conservent numerum. Id quo facilius possit observari, ultima in metro est anceps.

His expositis iam de singulis videamus metris.

§ 15.

De dactylicis versibus [d. r. m. 140—146].

Optima species hexametri est, si tres sint in eo dactyli, ac totidem spondei, maxime ita, ut primi duo pedes cum quinto sint dactyli, reliqui spondei, ut apud Vergilium:

arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris,

vel apud Ovidium:

in nova fert animus, mutatas dicere formas.

Cavendum utique, ne nimis multi dactyli aut spondei sint in metro; e quibus hi durum nimis et tardum, illi mollem nimis ac levem reddunt numerum. Romani tamen *pro natura linguae Latinae* in hexametris aliisque metris dactylicis multo plures admittunt spondeos quam Graeci.

Egregie, ut iam memoravi, utitur *Vergilius* numerorum varietate cum alibi tum l. I Aen. in descriptione tempestatis [81—91; 102—123].

Quinto loco raro ponitur spondeus. Quod si fit, versus vocatur *spondiazon*. Eo per imitationem Alexandrinorum ad ornandum carmen non ita raro usi Catullus, maxime quidem

in epithalamio Pelei ac Thetidos (in quo adeo tres habet continuos spondiazontas v. 78—80) et aliquanto minus *Vergilius*, auctor Ciris, *Ovidius*, *Horatius in lyricis et iambicis, sed idem semel in saturis et epistulis* [ep. II, 3, 467]. Post Augusti tempus versus spondiazontes a poetis plerisque omnibus rarissime sunt adhibiti [d. r. m. 144], excepto quod Iuvenalis eis tricies quinquiés usus est. Ceterum si quinto loco est spondeus, *quarto plerumque ponitur dactylus.*

Denique hexametros solis constantes spondeis qualis est ille:

olli respondit rex Albai Longai

praeter Ennium patrem usque ad finem saec. p. Chr. primi nemo admisit nisi Catullus semel [116, 3].

In pentametri priorem partem duos dactylos aut spondeos admitti minus placet. Cuius perfectissima species haec est, si *prior pes sit dactylus*, alter spondeus ut apud *Ovidium:*

nil mihi rescribas, at tamen ipse veni.

In posteriore parte eius versus solo dactylo locus.

Tetrameti acatalectici optima species haec est:

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – – – ∪ ∪

In *tetrametro* catalectico in disyllabum *tertius pes* semel est spondeus apud Horatium

mensorem cohibent Archyta.

De anapaesticis metris dictum d. r. m. 146—8.

§ 16.

In iambicis trimetris vel dimetris ad Graecorum exemplum compositis spondei promiscue adhibentur pedibus imparibus, et maxime quidem, praeter catalecticos, loco paenultimo, excepto *versu hipponacteo*, cuius apud optimos auctores haec est species:

⏑ – ∪ – ⏑ | – ∪ – ∪ ⏓ – ⏓

Praeterea Seneca loco paenultimo trimetri, ut tragicam ei addat gravitatem, praeter versus paucissimos semper ponit spondeum. Ceterum cf. d. r. m. 148—150.

At *Phaedrus* ubique utitur spondeo pro iambo praeter

pedem sextum, *ut tamen curet* multo magis quam Plautus et Terentius, *ne versus nimium onerentur numero spondiaco.* In quinto tamen loco paene semper ponit spondeum, iambum ita plerumque, ut finiatur versus vocabulo plus quam tetrasyllabo, numquam sic, ut quintus pes efficiatur vocabulo iambico. Praeterea cf. p. X ed. mai.

At *anapaestus* pro spondeo locum iambi optinente a cultissimo quoque poetarum Latinorum pariter atque Graecorum praeter comicos admodum adhibetur raro. Contra idem, ut notum, in Aristophanis et *Plauti* ac *Terentii* fabulis invenitur locis innumeris. Seneca tamen in tot milibus versuum, cum praesertim a paenultimo pede abesse voluisset iambum, non potuit non uti saepe anapaesto.

Praeterea ab optimo quoque auctore cavetur, ne thesis anapaesti pro spondeo positi duobus contineatur vocabulis aut uno disyllabo *praeter pedem primum;* neque magis thesis anapaesti talis in finem dactylici cadit verbi. Itaque vitiosi sunt versus hi:

imperia saeva non mane*re que*unt diu.
nil Troia vidit maestius *nec a*cerbius.
non vos ut hostes recipiam, *sed ut* hospites.
crinem saluta Maenas en *ruit* enthea.
fertur deorum rege pro*satus* Hercules.

In thesi tamen disyllaba admittenda Seneca, interdum, sed rarissime, aliquid sibi sumit licentiae in pede quinto.

Contra legitimi anapaesti sunt hi:

inferna tetigit, posset ut *supera* adsequi.
*pavidum*que leporem et advenam *laquco* gruem.
sublime classes sidus *Argolicas* agit.
nunc gloriantis quamlibet *mulier*culam.

Anapaesto in iambico metro omnino abstinuere Catullus, Vergilius in catalectis, auctores Priapeorum, *Horatius praeter trimetros.* Loco primo admisere Varro, Persius, Martialis in hipponacteis, primo et paenultimo Laevius *et in trimetris Horatius,* sed *quinquies,* non saepius [ep. 2, 35; 65; 5, 79. — 2, 35; 11, 23], etiam tertio Seneca, qui quidem propter

causam supra dictam eum quinto in pede admittit frequentissime.

De anapaestis pro iambo adhibitis subtilius est disputatum d. r. m. 150—154.

Phaedrus autem etiam in paribus pedibus utitur anapaesto pro spondeo, maxime tamen loco quinto (sic quidem ut curet ne umquam duo continuentur anapaesti), et praeter primum fere eodem modo ut dactylici. Cf. p. X prooemii ed. maioris.

Solutae arsis licentia ne exundaret, ut apud *Plautum* et *Terentium*, placuit eam fere contineri verbis talibus, quibus aliter non liceret intrare in metrum iambicum vel trochaicum, ut puta:

a*liti*bus atque *cani*bus *homi*cidam Hectorem.
urnasque frustra *Dana*idum plenas gerit.

Multo rarius vocabula pyrrichiaca in arsi ponuntur, ut

ast *ego* vicissime risero;

deinde arsis rarissime duorum verborum partibus continetur, ut apud Senecam

quid*quid* ego fugi. non erit veniae locus,

praeter formulas quasdam verborum ut *quid agis, quid igitur;* omnium minime duo monosyllaba una arsi includuntur, ut ne Seneca quidem in tanto numero versuum saepius quam bis et quidem in praepositione hoc admiserit [Oed. 330; Herc. Oet. 1441]:

quidnam loquar? sunt dira *sed in* alto mala.
quid hoc? quis axem cludit *et ab* ipsis pater.

Praeterea poetae non solent verborum in dactylum vel tribrachum exeuntium finales duas ponere sub ictum, parum ut placeat versus talis:

op*primit* et illum sortis immitis dolor,

et minus etiam hi:

quid bracchia? illud dic*ere vo*lui femur.
Aristo*phanis* ingens micat sollertia.

Omnium saepissime in primo iambo admittitur soluta arsis,

omnium rarissime in paenultimo, in hoc quidem maxime cum sunt verba quattuor aut plurium syllabarum ut:

habere poterit aliquid operis *residui.*

In hipponacteo tamen metro paenultima arsis numquam solvitur.

Proceleusmaticus interdum in primo pede adhibetur a Seneca.

Plura de soluta iamborum arsi exposita d. r. m. 154—158. De *Horatii* usu dictum pg. LXX ed. n.

Phaedrus et ipse in solvenda arsi utitur legibus admodum severis. Atque adeo in primo et quinto pede omnino abstinet a tribracho. Praeterea numquam ponit in ictu dactylicorum sive tribrachicorum vocabulorum finem. Non ita saepe idem voluit arsin solutam constare vocabulo pyrrichiaco, et minus etiam divellit eam duobus vocabulis, ita quidem, ut prius semper sit monosyllabum:

et rapiet ad se, *quod* erit commune omnium.

In quinto pede arsin non solvit praeter duos versus [V, 7, 22; append. 9, 6], nisi quando ultimum verbum est minimum quattuor syllabarum.

Proceleusmaticum etiam in primo admittit pede.

Cet. cf. pg. X, XI prooemii ed. mai.

Trimeter catalecticus

$$\breve{\cup} - \cup - \breve{\cup} - \cup - \cup - \cup$$

anapaestum non admittit et rarissime solutam arsin.

In trochaicis metris isdem rationibus admittuntur locis paribus spondei vel dactyli quibus in iambicorum imparibus spondei vel anapaesti. Etiam solvendarum arsium usus est simillimus. Cf. d. r. m. 148—158.

Ex ionicis a minori praeter *Horatii carmen III, 12,* quod totum constat forma simplicissima quae est $\cup\cup--$, maxime nos advertit Catulli c. 63, cui inscribitur Attis.

Itaque cum species legitima metri galliambici fuerit haec, quam numquam adhibuit Catullus:

$$\cup\cup--\cup\cup--\,|\,\cup\cup--\cup\cup-,$$

per anaclasin id est transpositis arsibus et thesibus oritur

haec, qua plerumque usus est ille:

⏖ – ⏑ – ⏑ – – | ⏖ – ⏑ ⏖́ ⏑ –

Praeterea potest solvi prima arsis et secunda, sed numquam tertia aut quarta. Itaque oriuntur species hae:

⏑ ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏑ – –

⏑ ⏑ – ⏑ ⏖́ ⏑ – –

Neque habes coniunctam utramque, nam v. 63 corruptus est.

Interdum etiam invenitur iambus partis alterius loco paenultimo:

⏖ – ⏑ – ⏑ –

Maiore cum licentia usi hoc metro Varro ac Maecenas.

Plura de ionicis a minori dicta d. r. m. 158—61.

Ex ionicis a maiori maxime nos advertent sotadei. Quorum prima species cum sit haec:

– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –

per anaclasin oritur haec

– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –

Potest etiam in primo vel secundo loco per anaclasin poni ditrochaeus. Sed hoc raro fit. Arses omnes licet solvi praeter ultimas duas, sed in singulis pedibus *semel*, nec in ditrochaeo. Alia quaedam de hoc metro notata d. r. m. pg. 161.

§ 17.

In glyconei et pherecratei versus basi Catullus plerumque adhibet trochaeum, raro spondeum et minus etiam iambum. Itaque haec eorum est species:

⏑ –́ }
–́ – }
–́ ⏑ } – ⏑ ⏑ – ⏑ –

⏑ –́ }
–́ – }
–́ ⏑ } – ⏑ ⏑ – ⏑

Contra *asclepiadei maioris* basin voluit esse spondiacam. — Ceterum semel in pherecrateo admissus loco dactyli spondeus [61, 25]

nutriunt umore.

In *phalaecii* basi plerumque utitur spondeo, sed subinde etiam trochaeo vel iambo:

Sed Augusti tempore et saeculo p. Chr. primo poetae paene omnes sunt soliti hoc metrum incohare a spondeo.

Praeterea Catullus in uno carmine [55] loco dactyli saepius admittit spondeum ita



Cf. d. r. m. 166.

In *sapphico hendecasyllabo* hanc adhibet formam:

Sed iam de *Horatii lyricorum versuum* arte dicendum.

Igitur cum *Graeci* versus glyconei, pherecratei, asclepiadeorum basin adhibuissent vel trochaicam vel spondiacam vel iambicam, *Horatius* in his metris omnibus (nam v. 36 c. XV l. I est corruptus) solo usus spondeo:



Praeterea cum *Sappho* et *Alcaeus* in secundo pede versus sapphici hendecasyllabi et alcaici hendecasyllabi vel enneasyllabi modo trochaeum posuissent, modo spondeum, *Horatius* solo usus est spondeo:

Denique primam syllabam versuum alcaicorum, quos modo dixi — quam vocant *anacrusin* — cum *Alcaeus* modo longam voluisset, modo brevem, *Horatius* in prioribus tribus libris *plerumque*, in quarto *semper* adhibuit longam.

Has autem glyconei, pherecratei, asclepiadei, sapphici, alcaici metri leges cum reliqui plurimi poetarum posteriorum servarunt, tum Seneca in canticis et Statius in silvis, excepto quod Seneca licentia scaenica usus aliquo-

tiens in sapphici pede secundo dactylum, in tertio admisit spondeum [Hippol. 286—88; Troad. 824; 836; 853; 1051; Med. 636].

Praeterea videnda, quae de logaoedicis versibus exposita sunt d. r. m. 161—167.

CAPUT III.

De caesura. De rhythmis versuum. De tmesi et enclisi. De interpunctione versuum [d. r. m. 176—241; 366—372].

De caesura [d. r. m. 176—205].

§ 18.

Caesura est versus medii incisio, fine verbi indicata, quae provenit ex arcana lege pulchri. Eadem temperatur numerus caesurae, qui modo idem est atque in reliquis versus partibus, ut in anapaestis ac trochaeis, modo contrarius, ut in dactylis et iambis. Ceterum caesura fere non egent versus minus quam undecim syllabarum.

Hexametri dactylici legitimae caesurae tres sunt.

I. penthemimeres, semiquinaria:

– ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑

arma virumque cano, | Troiae qui primus ab oris.

II. hephthemimeres, semiseptenaria:

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏒ – ⏑

irreparabilis abstulerit | iam praeterita aetas.

III. *τομὴ κατὰ τρίτον τροχαῖον*, tertia trochaica:

– ⏑ – ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ – ⏒ – ⏑

frater Hagen Thapsumque | securigerumque Nealcen.

Ea adhibetur interdum ad tranquillitatem quandam sive gravitatem addendam numeris, ut Verg. aen. II, 9; Catull. 64, 206.

Praeterea quia hephthemimeri versus in duas partes nimis inaequales dividitur, accedere ei solet auxiliaria trithemimeris, sive semiternaria, quae tamen sola per se constare non potest.

$$- \breve{} - | \breve{} - \breve{} - | \breve{} - \breve{} - \breve{}$$

Aeneas | Anchisiades | et fidus Achates.

Si hexameter Graecus vel Latinus caret caesura legitima, vitiosus est, ut ille:

sparsis hastis longis campus splendet et horret.

Nobilissima ex omnibus caesuris est penthemimeres, quae quidem *apud Romanos* longe etiam frequentior est quam *apud Graecos*. Cf. d. r. m. 197. Proximum *apud illos* frequentia optinet locum hephthemimeres. *In Graecis versibus* pro hephthemimeri magis usurpatur τομὴ κατὰ τρίτον τροχαῖον, quam quidem Romani putarunt parum-virilem et sonoram. Hinc apparet *in versu Latino* tali:

infandum regina iubes renovare dolorem

statuendam esse hephthemimerin, contra *in Graeco:*

μή σε, γέρον, κοίλησιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχείω

tertiam trochaicam. Cf. d. r. m. 183—190.

Semiseptenaria etiam optinet plerumque, si post quintum semipedem verbum finiatur, sed post septimum cum verbo etiam sensus:

inferretque *deos* Latio, | genus unde Latinum.

Caesura bucolica, quae fit post dactylum quartum, apud Romanos non adhibetur. Ne finiatur versus post quarti pedis trochaeum, id quod Graecis valde displicuit, in Latino versu nihil obstat, quamquam id vitarunt Catullus in epithalamio Pelei et Thetidos et Lygdamus.

Praeterea optimus quisque auctor abstinet aut omnino aut plurimum a trochaico verbo in pede secundo vel quarto, si in tertio sit collocatum trochaicum. Itaque parum placent metra haec:

supplicibus*que* voca*nda* sacris tutela deorum.
et bis „io Are*thusa*“ vo*cavit*, io Arethusa.

Cf. d. r. m. 218.

Itaque longe inelegantissimus est versus talis *Horatii*, qui adeo habet τομὴν κατὰ τρίτον τροχαῖον:

dignum *mente domoque legentis honesta* Neronis.

Hexametros caesura carentes usque ad Iuvenalem tantum admisere Ennius ac Lucilius, et quidem paucos. Apud ultimorum saeculorum auctores interdum inveniuntur, sed rarissime; cf. d. r. m. 194—197.

Caesura tertia trochaica multi poetae Latini omnino non utuntur. Ex hephthemimeris variis generibus id maxime probatur, cui adest etiam trithemimeres cum fine verbi post tertium trochaeum:

– ⏖ – | ⏖ – ⏑⏑ – | ⏖ – ⏑⏑ – ⏑

infandum, | re*gina*, iubes | renovare dolorem.

Unde tersissimus quisque poeta hoc potissimum usus. Nec displicent versus, in quibus non terminetur verbum cum trochaeo pedis tertii, ut

Aeneas | Anchisiades | et fidus Achates.

Si absit trithemimeris, cavetur certe ut secundus pes cum trochaeo tertii uno constet verbo:

labitur *exanimisque* tremens | procumbit humi bos.

Omnium minime probatur sola hephthemimeris sine trithemimeri vel finito verbo in tertio trochaeo:

irreparabilis abstulerit | iam praeterita aetas.

De caesuris hexametri accuratissime dictum d. r. m. pg. 182—202.

Pentametri caesura semper est penthemimeres

– ⏖ – ⏖ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

vix Priamus tanti | totaque Troia fuit.

Tetrameter habet caesuram item penthemimerin:

– ⏖ – ⏖ – | ⏖ – ⏑ ⏑

solvitur acris hiemps | grata vice.

In minoribus metris dactylicis certa incisio non invenitur.

De *anapaesticis* metris dictum d. r. m. 203.

§ 19.

In *trimetro iambico* sive admissis spondeis sive exclusis ut et in hipponacteo eaedem paene optinent caesurae rationes atque in hexametro dactylico.

Itaque nobilissima pariter et frequentissima est caesura penthemimeres:

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Aesopus auctor | quam materiam repperit.

Proximum locum tenet hephthemimeres:

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –

cum tristem servitutem | flerent Attici.

Huic propter partium nimiam inaequalitatem saepe additur finis verbi post secundum pedem:

⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –

quod arbores | loquantur, | non tantum ferae;

aut certe cavetur, ut secundus trochaeus cum tertio uno constet verbo:

cum tristem *servitutem* | flerent Attici.

Haec etiam optinet, quando post secundum trochaeum finis verbi, post tertium praeter verbi finem etiam interpunctio constat:

tum misit *illis* hydrum, | qui dente aspero.

Versus trimetros caesura carentes a Ciceronis aetate usque ad finem saeculi p. Chr. primi nemo admisit praeter Varronem. Praeterea propria est ratio versus in catal. Vergilii 4, 9; sed ibid. 5, 25 scribendum:

caeno retentae sordido stant in vadis.

Ceterum conf. d. r. m. 203, 4.

Trimeter catalecticus semper habet penthemimerin:

⏒ – ⏑ – ⏒ | – ⏑ – ⏑ – ⏑

trahuntque siccas | machinae carinas.

In minoribus versibus certa incisio non invenitur. Contra in tetrametro catalectico ea ponitur semper post quartam arsin

⏒ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ – ⏑ – ⏑

cinaede Thalle, mollior | cuniculi capillo.

De *trochaicis versibus* dictum ibidem 204. Ex his frequentissimus *tetrameter catalecticus* habet incisionem post pedem quartum:

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

cras amet, qui numquam amavit | quique amavit, cras amet.

Ex numeris *ionicis* tantum versus *galliambicus* habet certam caesuram post finitum pedem secundum:

⏑ – ⏑ – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ –

super alta vectus Attis | celeri rate maria.

§ 20.

In *logaoedicis* metris *Graeci* saepe neglegunt caesuram. At *Romani* etiam in his omnia ad severiorem revocarunt legem.

In *asclepiadeis minoribus Horatius* semper ponit caesuram post syllabam sextam (nam IV, 8, 17 est spurius):

– – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Maecenas atavis | edite regibus;

in *maioribus* post sextam et decimam:

– – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ –

nullam Vare sacra | vite prius | severis arborem.

In hoc Catullus interdum neglegit caesuram. At in illo Horatii exemplum secutus Seneca; cet. cf. d. r. m. 204.

In *sapphico hendecasyllabo Horatius* plerumque ponit caesuram post syllabam quintam:

– ⏑ – – – | ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

iam satis terris | nivis atque dirae;

interdum, maxime in libro quarto et carmine saeculari, post sextam

– ⏑ – – – ⏑ | ⏑ – ⏑ – ⏑

Phoebe silvarumque | potens Diana.

Catullus ter neglexit caesuram [11, 6; 7; 11]. Posteriores eam, quae fit post quintam syllabam, probavere. Cf. d. r. m. 205.

In *maiore sapphico* caesura est post quintam syllabam et octavam:

– ⏑ – – – | ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

te deos oro | Sybarin | cur properes amando.

In *alcaico hendecasyllabo* caesura ab *Horatio* fixa item post syllabam quintam.

– – ⏑ – – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

odi profanum | vulgus et arceo.

Bis tamen ea neglecta I, 37, 14; IV, 14, 17. Posteriores poetae semper post quintam ponunt syllabam incisionem.

In *phalaccio hendecasyllabo* incisio certa nulla.

De rhythmis [d. r. m. 205—229].

§ 21.

Prima lex est versuum Graecorum et Latinorum omnium, ut rhythmi, vel, ut latine dicuntur, numeri pedum quam longissime recedant a grammatico accentu verborum. Itaque in structura rhythmica versuum Graecorum et Latinorum non accentus grammaticus verborum respicitur, sed numerus (i. e. *tschislo, anzahl*) *syllabarum.*

Hinc apparet rhythmum versus maxime eis locis posse congruere cum accentu grammatico, in quibus est maxima libertas metri, hoc est *in principio ordinis metrici*, sive in initio versus, sive post caesuram, veluti ita:

littora, multum ille et terris iactatus et alto.
ipse hostis Teucros | *insigni* laude ferebat.
aequora concussitque *micantia* sidera mundus.

Minus tamen placet spondiacum verbum in ipso collocari initio aut in pede quarto hexametri.

Unde *Vergilius* eo apte usus ad rem difficilem et gravem exprimendam:

tantae molis erat Romanam condere gentem.
et pater Anchises dare *fatis* vela parabat.

Secunda, ut in fine ordinis metrici, qui sive caesura sive versus exitu efficitur, numerus eius proprius diligentissime conservetur, velut in hexametri penthemimeri anapaesticus, in ultimis duobus pedibus dactylicus et trochaicus. Constat autem finis ordinis metrici in caesura pede uno, in fine versus duobus, ut in hex. dact., aut uno et dimidiato, ut in trim. iamb.

Numerus in fine ordinis metrici corrumpitur, si ultima syllaba ordinis, sive ea arsis est sive thesis, constet vocabulo monosyllabo, vocabulo plus quam monosyllabo praecedente, nisi hoc sit pyrrichiacum.

Praeterea quando, ut in hexametro dactylico, finis ordinis

metrici constat duobus pedibus, in priore, ne nimis obscuretur rhythmus, non debet arsis constare fine verbi plus quam monosyllabi, neque thesis (si monosyllabo constet arsis) efficere partem vocabuli plus quam monosyllabi, nisi id sit pyrrichiacum.

§ 22.

Itaque his praemonitis iam in *hexametro* et *pentametro dactylico* ordinis utriusque metrici finis numeri recti et falsi demonstrabuntur. Reliquorum autem metrorum leges ex his sibi quisque facile licet deducat.

Constat igitur in *caesura semiquinaria* vel *semiseptenaria finis prioris* ordinis metrici *anapaesto* (vel *spondeo*), *posterioris* in hexametro *dactylo et trochaeo*, in pentametro *choriambo*.

Itaque *vitiosae* sunt hexametri caesurae semiquinariae hae:

et cum fri*gida mors* anima seduxerit artus.
vel mani*festas res* contra clarasque repugnat;

legitimae tales:

in nova fert *animus* mutatas dicere formas.
haec simul *advertas*, facile ut cognoscere possis.
sollicitu*dinibus* subigit vementibus ira.
arma virum*que cano*, Troiae qui primus ab oris.
o quotiens *et quae* nobis Galatea locutast.
simplicior *quis et est?* qualem me saepe licenter.
respexit *tamen et* longo post tempore venit.

Isdem prorsus legibus, sed etiam accuratius observatis caesura *semiseptenaria* temperatur.

Itaque monstri paene instar est versus *Horatii:*

nec facundia *deseret hunc* nec lucidus ordo.

Contra in *semiternaria*, cum proxima sit initio versus, lex *minus severe* custoditur.

Praeterea cum Romani amaverint ut supra memoravi in pedibus secundo et tertio numerum dactylicum et versus Latini ea prima lex sit, ne rhythmus eius cum accentu grammatico congruat, ne secundus quidem pes dactylicis (et minus etiam spondiacis) verbis effici solet, si sit hephthemimeres caesura (vel tertia trochaica). Itaque etiam displicent versus tales:

irrepa*rabilis* abstulerit | iam praeterita aetas.
celso *pectore.* saepe iubam quassat simul altam.

In sexto pede hae sunt formae *non legitimae*:

dat latus. insequitur cumulo praeruptus *aquae mons.*
Aeole, namque tibi divum pater atque *hominum rex.*
cum sociis gnatoque, Penatibus et *magnis dis.*

Quinti pedis *vitiosae* sunt formae tales

et quo quaeque modo fierent ope*ra* sine divum.
propter egestatem linguae et re*rum novi*tatem.
fixerit acripedem cervam licet aut *Ery*manthi.

Denique *non licet versum finiri* vocabulo *pentasyllabo,* non quidem ob causam rhythmicam, sed quia verba tam longa faciunt finem mollem nimis et debilem, cum praesertim eorum duae ultimae syllabae fere sint flexionum instar. Itaque *parum placet* metrum tale:

divisit medium fortissima *Tyndaridarum.*

Contra *permissae* sunt species *quinti ac sexti pedis* tales:

at Boreae de parte trucis cum fulminat *et cum.*
in nova fort animus mutatas *dicere* formas.
inferretque deos Latio, genus *unde La*tinum.
arma virumque cano, Troiae qui *primus ab* oris.
nam neque Parnasi nobis iuga *nam neque* Pindi.
cederet aut quarta socialiter. *hic et in* Acci.

Iam dicendum de versibus qui spondeum habent in loco quinto. Id quia visum durius, poetae plerique omnes eum *non admittunt nisi* posito in fine verbo tetrasyllabo:

armatumque auro circumspicit *Oriona,*

aut, quod est rarius, trisyllabo praecedente minimum choriambico:

perque hiemesque aestusque et *inaequales autumnos.*

Minus placet trisyllabum praecedente vocabulo quod sit minus quam quattuor aut trium syllabarum. *Vitiosi* nec umquam admissi in quinto loco a Graecis aut Romanis spondei ita, ut aut sextus aut quintus pes constet verbo disyllabo

vel monosyllabis binis; nec minus falsum loco quinto vocabulum in spondeum exiens. Itaque nullus est versus talis:

morte ferox Theseus qualem Mi*noae luctum.*

Omnino nullae species versus spondiaci sunt permissae praeter eas quas supra memoravi, excepto quod Vergilius, Ennium [ann. 207 ed. Vahl.] secutus, adhibuit tales

cum sociis gnatoque, Penatibus *et magnis dis.*

cum populo patribusque, Penatibus *et magnis dis;*

et Lucretius

matris et ingrati genitoribus *inventi sint,*

nisi potius est scribendum

genitoribu' sint inventi.

Atque ita Iuvenalis satiricus [III, 273]:

et subiti casus inprovidus, *ad cenam si.*

Sed iam ut leges poetarum usque ad finem saeculi p. Chr. primi dactylicorum persequar, in tertio pede hexametri collocare verba dactylica post Ennium et Lucilium (qui et spondiaca ibi adhibuere) non est ausus quisquam nisi Lucretius et Horatius locis binis [I, 570; IV, 491; epist. I, 18, 52; II, 3, 41].

In secundo pede dactylica vel aliquando spondiaca vocabula adhibuerunt Ennius, Lucilius, Lucretius, Cicero; at sola dactylica admisere Catullus, auctor dirarum, *Vergilius*, *Horatius*, auctor culicis, Propertius, Iuvenalis, omnes hi praeter *Horatium* rarissime. In quinto pede et sexto antiquissimi usque ad Lucretium saepius violarunt leges supra propositas, sed tamen multo minus quam Graeci, eorumque libertatem secuti sunt *satirici.* At *Vergilius plusquam quadragies* versum monosyllabo cum conclusisset praecedente plus quam monosyllabo, *Ovidius* id *undecies* admisit. *Vergilius*, qua est cura numerorum, saepe eo utitur exitu ad res graves vel atroces describendas, veluti aen. I, 105; II, 250; 355:

dat latus. insequitur cumulo praeruptus *aquae mons.*

vertitur interea caelum et ruit *Oceano nox.*

sic animis iuvenum furor additus. inde *lupi ceu;*

semel etiam ad movendum risum in georg. I, 181:

tum variae illudunt pestes. saepe *exiguus mus;*

quod imitatus est *Horatius* in arte poetica v. 139:

parturiunt montes, nascetur *ridiculus mus.*

Poetae posteriores, etiam epici, admodum raro monosyllabum in fine versus praecedente plus quam monosyllabo admittunt; cf. d. r. m. 221.

In quinto pede regulas numeri *circa centies vicies* laesit *Vergilius, Ovidius octogies,* posteriores multo rarius. *Vergilius* interdum violat legem cum certo consilio, veluti ad describendas res deformes ut aen. IX, 475; IV, 215:

eruit infelix et *femineo ululatu.*

et nunc ille Paris cum *semiviro comitatu.*

Spondeum in quinto loco multi poetae ita tantum admisere ut versus tetrasyllabo finiretur, ut *Horatius,* Propertius, isque etiam apud reliquos mos fuit longe frequentissimus. Alii etiam trisyllaba adhibuere, sed ut praecederet verbum, quod choriambum utique impleret, ut *Ovidius.* Alii denique ut Catullus et *Vergilius* trisyllaba praecedente disyllabo vel monosyllabo; sed hoc ut esset rarissimum. De *Vergilio* etiam supra dictum. Cet. cf. d. r. m. 209—24.

In *pentametri* pede secundo praeter Catullum nemo ex poetis usque ad finem saeculi p. Chr. primi admisit vocabulum dactylicum, nedum spondiacum.

Secundae partis finis elegantissime fieri putatur vocabulo disyllabo praecedente trochaico ut:

vix Priamus tanti totaque *Troia fuit.*

Itaque *Ovidius* in carminibus elegiacis ante exilium conscriptis semper; nec aliter nucis auctor. Ex illo apparet quasdam heroidum quae sub eius nomine feruntur [XIV, XVI, XVII, XIX], eius non esse, quippe in quibus ista lex sit laesa. In elegiis post fugam compositis circiter quinquagies admisit trisyllaba vel longiora vocabula in fine pentametri.

Tibullus et in libris IV et V Propertius et Martialis plerumque utuntur disyllabo fine, sed aliquando etiam plurium syllabarum. Contra Catullus et in tribus prioribus libris Propertius saepe admittunt plus quam disyllaba. Omnium

autem rarissimum est monosyllabum in fine positum. Semel legitur apud Catullum [76, 8]:

aut facere, haec a te dictaque *factaque sunt.*

semel apud *Ovidium* [ep. ex Ponto I, 6, 26]:

omnis an in magnos culpa deos *scelus est?*

Sed in his *sunt* et *est* inclinanda. Quater Martialis I, 32, 2; VII, 75, 2; X, 16, 8; XII, 47, 2.

Plura dicta de pentametro d. r. m. 224—226.

§ 23.

Eaedem autem numerorum leges *in reliquis versibus* obtinent. Sed quia hexameter et pentameter ut frequentissima, ita cultissima omnium sunt metra, in ceteris illae paullo minus accurate servantur.

Itaque *in omnibus versibus vitiosum* habetur finire metrum vocabulo monosyllabo, si praecedit plus quam monosyllabum, excepto quando adest enclitica, maxime verbum *est*, ut apud Catullum:

parum expatravit an parum heluatus est?

et apud *Phaedrum:*

timore mortis ille tum *confessus est.*

Idem admittit Seneca tragicus, sed non *Horatius*, Vergilius, Petronius, Martialis.

Nec minus in caesura putatur vitiosum monosyllabum collocatum in fine ordinis metrici, nisi cum altero monosyllabo.

Rem demonstrabo in *trimetro iambico et nonnullis metris logaoedicis.* Igitur parum sunt elegantes ideoque rari versus tales:

diris *agam vos,* | dira detestatio.
regnante te *vides ut* imperium cadat.

Omnium pessimum est, si tertio loco vocabulum spondiacum sit positum, quia ita indoles caesurae trochaicae plane evertitur ut apud Terentianum Maurum:

sed simplici *carmen per* omne evectus est.

Praeterea conf. d. r. m. 226—228.

Apud *Phaedrum* quamquam, ut notum est, promiscue adhibentur spondei praeter pedem sextum, tamen ne nimis obscuretur numerus trochaicus vel iambicus, numquam *secundus tertius quartus pes* vocabulo *spondiaco* sive *anapaestico* continetur. Cf. ed. maior. pg. XII.

Rhythmicae autem *Plauti* et *Terentii* iamborum et trochaeorum leges, ut obiter hoc addam, non sunt diversae *ratione* a *Phaedri*, excepto quod illi, ut erant eorum tempora parum culta, haud raro sibi indulsere licentiam, quam Phaedrus aspernaretur.

In *logaoedicis metris Horatius* rarissime finit versum monosyllabo praecedente plus quam monosyllabo ut in carmine saeculari:

alme Sol, curru nitido *diem qui*,

nec saepius Seneca.

In *phalaecio* versu Catullus interdum ponit in fine monosyllabum praecedente plus quam monosyllabo, at Statius semel:

non leves alicae nec *asperum far*,

numquam Martialis.

In *sapphico minore* Catullus aut Horatius numquam secundum pedem constare passi verbo spondiaco, ut apud Sappho legitur:

ἔμμεν ὤνηρ, | ὅστις ἐναντίος τοι.

Et multo minus posteriores.

In *asclepiadeo minore* Horatius interdum possit secundo loco verbum dactylicum ut I, 6, 17:

nos con*vivia*, *nos* proelia virginum.

Numquam Seneca.

Plura de metrorum logaoedicorum rhythmis dicta d. r. m. 228, 29.

§ 24.

De tmesi et enclisi [d. r. m. 366—372].

Ut recte statuatur de legibus numerorum, hic pauca addenda *de tmesi et enclisi* verborum.

Tmesis vocatur, quando partes compositi vocabuli dissol-

vuntur in duo vocabula, *enclisis* quando duo vocabula sub unum coeunt accentum.

Tmesi satis inepte Ennius usus ita:

saxo *cere* comminuit *brum*

pro *saxo cerebrum comminuit.* Et hoc quidem ille, ut alia, ex perversa Homerici carminis traxit imitatione. Minus ineleganter dixit Lucretius IV, 28 *ordia prima* pro *primordia* et VI, 233; 962 *rareque facit, facit are,* Cicero Phaenom. frgm. 5 *septem soliti vocitare triones,* quo aliquanto audacius est *Vergilii* illud georg. III, 381 *septem subiecta trioni* pro *subiecta septemtrioni,* quod tamen imitatus est *Ovidius* metam. I, 64:

Scythiam *septemque trionem.*

Denique pronomina et adverbia, quibus adhaeret illud *cumque* saepe diducuntur in partes, ut apud *Horatium:*

quem sors dierum *cumque* dabit;

quod ne in prosa quidem inauditum.

Praeter haec exempla tmesis haud dubie admittitur in praepositionibus disyllabis, quae et per se possunt constare adverbiorum modo ut apud Horatium [epist. II, 2, 93, 4]:

circum
spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.

Verum usque ad *Ovidium* poetae Latini etiam tales admisere tmeses in praepositionibus, quae per se stare non possunt (etiam in eis quae omnino per se non constant), ut apud Ennium est *de me hortatur, deque totondit,* apud Lucilium *deque dicata, deque petigo.* Ita saepius Lucretius: at ter *Vergilius* [ecl. 8, 17; aen. IX, 288; X, 288] et hunc secutus semel *Ovidius* [metam. XII, 497]. Praeterea notanda apud Lucretium haec [III, 858; IV, 829]: *inter* enim *iectast, inter* quaecumque *pretantur.*

Aliud genus fit *tmesis* ita, ut pars prior compositi a posteriore propter rationes metricas hoc est propter caesurae leges aut propter rhythmorum aut propter elisionis modulos diducatur, veluti in *Horatii* artis poeticae v. 263:

non quivis videt in|modulata poemata iudex;

in quo quidem ipsa metricae licentiae proprietate irrisit malorum poetarum inelegantiam. Ita Lucilius:

hic in stercore humi stabulisque fimo at|que sucerdis.

Etenim *atque* compositum est ex *ad* et *que*.

Usi sunt hac tmesi, sed rarissime omnes, usque ad Iuvenalem *in hexametris* Lucilius, Lucretius, *Vergilius in aeneide*, *Horatius*, Propertius, Manilius, Persius, Statius in thebaide, Silius, Iuvenalis. Sic etiam in hendecasyllabo phalaecio Catullus:

non belle uteris in ioco *at*|que vino;

in iambis Horatius

ut adsidens *in*|plumibus pullis avis.
nam si meis *in*|aestuet praecordiis
parentibusque *ab*|ominatus Hannibal;

nec minus *in numero asclepiadeo*

dum flagrantia *de*|torquet ad oscula.
arcanique fides prodiga *per*|lucidior vitro.

Similiter *Phaedrus* III, 15, 6; V, 7, 19.

Ita etiam praepositiones *inter intra* in duas discerpuntur partes, ut apud Silium propter causam rhythmicam II, 321:

stant prima *in*|ter signa senes letumque lacessunt.

Nam spondiacum vocabulum in pede secundo apud eum non invenitur.

Contraria autem *tmesi* est *enclisis*, quae oritur si voces scriptura seiunctae uno continentur accentu. *Enclisis usus* haud ita frequens fuit in lingua Latina.

Primum ita coit pronomen indefinitum *quis* praeter formas disyllabas cum *si ne num cum*, ut melius adeo uno scribatur verbo *siquis nequis numquis cumquis*, ac similiter pronuntiandum *nescíoquis* correpta semper *o*. Praeterea pronomina *me te se nos vos* cum praepositionibus, quarum secunda pars constat suffixo *ter* vel *tra* sub unum coeunt accentum ut *intérse*, *intráme*.

Praeterea verbi substantivi formae *est* et aliquando *sum es sunt sim sis sit sint* a multis Romanis sunt inclinatae, si praecederet aut monosyllabum qualecumque aut trochaeus vel tribrachus vel pyrrichius in consonam desinens ut:

parum expatravit an parum heluatus *est?*
vobisque *ego sim,*

sed non si antiret dactylus vel spondeus excepto quando ultima syllaba est enclitica vel secunda pars compositi ut factaque *sunt*, quamvis *est.*

Praeterea *satis esse* vel *sat esse*, quod est *sufficere*, ut *potesse*, *posse* melius uno verbo scribitur quam duobus; et similiter coaluerunt *quomodo*, *quopacto*, *tumcum*, saepe etiam *priusquam*, *antequam*, *iamiam* [d. r. m. 239].

De accentu accuratius dictum *in libello de orthographia et prosodia latina.* Itaque hic satis est memorare monosyllaba et pronomina et praepositiones et coniunctiones praeter interrogativa *quis qui* [cf. Gellius VI, 2, 11], velut *hic*, *is*, *ad*, *in*, *et*, *aut*, *vel*, propter frequentiam usus gravem habere accentum, non acutum. Praeterea cf. d. r. m. 372—74.

§ 25.

De interpunctione versuum [d. r. m. 229—241].

Ordinis metrici finis cum contineatur lege eurhythmiae et euphoniae, at *enuntiati*, quod Russice vocatur *predlojhenie*, Germanice *satz*, logicae temperetur norma, *fines illius et huius consentire per se minime oportet.*

Itaque nihil obstat, ne *caesura* aut *finis versus* cadat *in praepositionem aut coniunctionem* quam artissime iunctam cum verbis subsequentibus, ut

nuptarum laus *e* laudibus eximiis.
quam veniens una *atque* altera rursus hiemps.
omnia magna loquens, modo sit mihi mensa tripes *et*
concha salis puri.

Neque magis cavetur, ne ordinis metrici finis incidat statim post finitam sententiam sive ante ut in his *Horatii* et *Vergilii:*

scribendi recte; nam ut multum nil moror. *ecce*
Crispinus minime me provocat.
pulverulentus *eques* | *furit.* omnes arma requirunt.

Neque aut sensus interstitium aut apud scaenicos finis diverbii officit elisioni, velut apud *Vergilium:*

me, me, adsum qui fec|*i*; in me convertite ferrum.

Multo minus autem opus est, in fine versus vel strophae poni interpunctionem, ut adeo *Horatius* interdum ut I, 37, 5—24; III, 29—48 per continuas strophas satis multas abstinuerit ab interpungendo.

Sed tamen *concinere inter se fines ordinum metricorum ac sensuum aut certe non nimis discrepare* tam simplici pulchri lege praecipitur, non ut potuerint esse expertes observantiae talis veteres.

Qua quidem in re *Graeci*, quorum ars metrica iam antiquissimis temporibus stabilita est, multo fuere diligentiores quam *Romani*.

Itaque *apud optimos auctores Latinos* plerumque fines ordinis metrici aut congruunt cum sensuum finibus aut certe non nimis discrepant. *Minus* tamen *inelegans discrepantia* talis *in caesura*, quoniam ordinis metrici, qui efficitur caesura, finis levior est quam finis totius versus. Igitur praepositionem vel coniunctionem monosyllabam in penthemimeri vel hephthemimeri saepe admittit *Vergilius* et qui eum in arte metrica sunt imitati, raro admodum *Ovidius* et huius asseclae. Cf. d. r. m. 236. Multo magis displicet punctum sive adeo comma positum post thesin secundam aut tertiam, si adsit penthemimeris, ut

hic currus *fuit. hoc* | regnum dea gentibus esse.
cui non dictus *Hylas* | *puer*, et Latonia Delos?

aut interpunctio adhibita post quartam thesin in hephthemimeri ut:

et patrio pater esse *metu* | *probor*. aspice vultus.

Cf. d. r. m. 237. Ceterum discrepantia talis paullo levior est in versibus parvulis vel coniunctis per strophamr, quam in maioribus, ut in hexametro dactylico vel trimetro iambico, aut eis qui ultimam partem efficiunt strophae. Post arsin igitur sextam hexametri ponere coniunctionem aut praepositionem monosyllabam post Horatii tempus usque ad finem

saec. p. Chr. primi nemo est ausus *praeter Iuvenalem.* Cf. d. r. m. 232, 3. Nam Propertii III, 25, 17 corruptus est.

In partibus versus, quae sunt *extra finem ordinis metrici* positae, interpunctio facillime accommodabitur pedum divisionibus eis, quibus in singulis metris maxime usi sunt veteres, ut *in hexametro pentametrove* post secundam poni solet arsin aut post thesin quartam. Minus placet interpungi post secundam dactylici pedis syllabam quam post primam aut tertiam. Parum autem probatur, perspicuam propter causam, in primo pede posita interpunctio, ne post tertiam quidem syllabam; unde *Vergilius* ea interdum usus est commode in oratione subito abrupta et concisa, ut aen. IV, 569, 70:

> eia age, rumpe moras. varium et mutabile semper
> *femina.* sic fatus nocti se immiscuit atrae.

Praeterea non licet in versus initio poni verba talia quae non possunt stare in initio enuntiati, ut *enim autem;* de illo *inquit* cf. d. r. m. 230, 31.

In pentametri caesura post Catullum non adhibitae coniunctiones aut praepositiones monosyllabae. Cf. d. r. m. 235.

At apud *Horatium* id invenitur in mediis et extremis lyricorum systematum versibus ut:

> vocibus regnum *et* | diadema tutum
> nil interest *an* | pauper et infima
> pestemque a populo *et* | principe Caesare *in*
> Persas atque Britannos.

Idem et interpunxit post syllabam paenultimam:

> audivere, Lyce, di mea vota, di
> audivere, Lyce.

Sed haec, rara quidem apud illum, numquam inveniuntur apud Statium in silvis aut apud Senecam in canticis.

Praeterea post Catullum et Horatium soliti sunt interpungere poetae post finem distichi elegiaci aut systematis lyrici excepto si fieret aut enumeratio rerum aut si multiplicarentur epitheta aut si iniceretur parenthesis, ut Ov. heroid. 1, 91—93; 12, 62—64; fast. IV, 357—359.

In fine huius partis apte potest addi, *non amare poetas*

duarum aut plurium syllabarum vocabula, quae sint significationis nimis exilis, ut *ille atque verum quare, ponere in initio versus aut fine excepto quando eliduntur, nec* magis eos pati *monosyllaba,* quae sint gravi significatione, *delitescere* in fine metri ut apud *Vergilium:*

labitur exanimisque tremens procumbit humi *bos.*

CAPUT IV.

De synizesi et dihaeresi. De elisione et hiatu [d. r. m. 242—312]. De productis propter duplicem consonam insequentem aut arsis vi syllabis [d. r. m. 313—333].

§ 26.

Si vocalis vel m littera in fine syllabae posita excipitur sequente vocali vel h spiritu, subsistit et laborat et quasi hiat oratio. Id vitium gravius est, prior si vocalis in exitu verbi sit posita, quoniam finito verbo per se retardatur oratio et interrumpitur. Ideo etiam in medio verbo composito molestior hiatus quam in simplici.

De synizesi [d. r. m. 242—276].

Hiatum, in medio verbo qui fieret, *Graeci* pro varietate dialectorum diverso modo tulere, omnium facillime *Iones.* Ceterum ad tollendum eum *Romani* saepe isdem usi sunt remediis quibus *Graeci.*

Notandum autem Romanos *post Augusti tempus* hiatum in medio verbo accidentem multo facilius tulisse quam ante. Atque adeo quo quis antiquior tempore fuit poeta Latinus, eo et plura et quae nobis videantur duriora contractionis vel synizesis apud eum inveniuntur exempla. Id vel maxime pertinet ad *Plautum* et *Terentium.*

§ 27.

Sed ad mitigandum eum prima lex est in sermone latino, ut vocalis pura i. e. ante vocalem posita brevis sit.

Excerpuntur genetivi et vocativi singularis numeri in *ai* et *ei* ut *aquai*, *aulai*, *aurai*, *pictai* ap. *Vergilium*, *diei*, *Gai*, *Pompei*, praeterquam ubi in quinta declinatione praecedit consona ut *rĕi*, *spĕi*, *fidĕi*, quae tamen formae usque ad Lucretium etiam produxere *e*, ut apud Ennium:

ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidēi;

nec minus verborum in *aius eius* finientium nominativi et dativi vel ablativi pluralis, ut *Grai*, *Grais*, prima in *Gaïus*, *Gnacus*, *dius* pro *divus* et *diu* ablativus, ut *sub diu*, verbum *fio* cum eis quae inde descendunt, excepto quando sequitur *er*, unde Ovidius ita lusit:

omnia iam *fient*, *fieri* quae posse negabam;

quamquam Ennius dixit *fīere*.

Praeterea genetivi in *ius* exeuntes praeter *alius* modo producunt paenultimam, modo corripiunt. Quorum quantitas qualis fuerit antiquiore tempore, non satis constat. Sed saeculo p. Chr. primo eos longa fuisse *i* pronuntiari solitos cum ex Quintiliani testimonio [I, 5, 18] apparet, tum inde quod *Phaedrus*, qui communem imitatur sermonem, semper producit *i*. In *Diana* et *ohe* prima apud optimos auctores est communis. Praeterea Statius primam in *praeire* producere ausus est [theb. VI, 519].

In *Graecis* tamen servatur quantitas peregrina. Itaque longa non corripitur, nisi quando et in Graeco sermone id licet, ut *acnĕis*, *Nerĕis*, *ĕous*, *Malĕa*, *Ĭonia*, *Prĭamides*. Genetivi et accusativi verborum in εύς exeuntium, *eos* et *ea*, plerumque habent *e* breve. Praeterea saepe, sed minime semper, ειος, εια in *e* breve mutantur ut *platĕa*, *chorĕa*, *Aeschylĕus*, *Pelopĕus*, *Tantalĕus*, *Caucasĕus*, ut etiam Graeci in adiectivis similibus pro ειος saepe admittunt ιος vel εος. Ita *academĭam* dixit Claudianus et Statius, si est verum [silv. I, 3, 95], *Plĭades*. Apud *Ovidium* quod legitur in Tristibus *Maĕotis*, videtur esse corruptum. Contra christiani poetae saepe in nominibus Graecis corripuere longas vocalis sequente vocali. — Cet. cf. d.. r. m. 246—249.

Praeterea hae sunt leges vocalium ante vocales positarum.

Non solent copulari *a a*, *e e*, *o o* nisi aliquando per composita ut *coorior;* etiam *i i* ante Augusti tempus rarius iungebatur et pro *u u v u* dicebatur *uo vo.* Neque *a* vel *o* cum vocali alia coeunt nisi in compositis nonnullis, ut *proinde prout,* aut in nominibus propriis, qualia sunt *Gaïus Grai,* aut ubi melius interponitur *h,* ut *aënus.* Magis placent iuncturae *iu, ju, ui, vi,* licet *biiugae* sit contractum ex *biiugae* et antiquiores dixerint *verginem* pro *virgine* et, quod manet hodieque, *Vergilium.* Omnium minimum offensionis habent conexa *ca, ei, co, cu, ia, ie, io, ua, ue, uo,* sive *i* vel *u,* quando praecedunt, vocales sunt sive consonae.

Denique *h* interposita dysphonia imminuitur, ut in *traho, Ahala, Dahae, Phrahates.*

§. 28.

Iam ad hiatus illius asperitatem removendam primum usi sunt veteres *contractione,* ut dixerunt *nil, mi, cogo, coperio, colesco, desse, derrarre, prendo, vemens, di, dis, i, is, idem, isdem.* Ita etiam explicandum euphoniae lege, quod in genetivis substantivorum in *ius ium* exeuntium usque ad *Horatium* semper et deinde persaepe simplici *i* sunt usi, ut *Tulli, fili, consili* [cf. d. r. m. 377], quodque maior pars poetarum in dativo singularis numeri quartae posuit *u* pro *ui* [d. r. m. 381], et quidam in genetivo et dativo quintae *e* pro *ei* [ibid.], quodque praeterita quae habent *avi, evi, ivi* totiens sunt passa contractionem, et aliquando *iebam iebar* quartae. *Omnino multa et in declinatione et in coniugatione verborum orta sunt ex desiderio vitandi in mediis verbis hiatus.* Quantum pertinet ad formas *nil prendo,* perinde apud dactylicos inveniuntur illae *nihil prehendo.* Pro *mi* multo saepius dixere *mihi. Desse derrare* semper adhibuere, non *deesse deerrare;* etiam *vemens* forma multo melior quam *vehemens.* Et rarissime inveniuntur illa *dei deis,* quamquam non sunt aliena a bonis auctoribus. *I* et *is* non videntur usurpari praeter scaenicorum vetustissimorum carmina, nec tamen a dactylicis adhibentur *ei* et *eis;* sed *idem isdem* ex more dicitur; ut mirum sit quod Iuvenalis dixit 14, 30 *eisdem.* Cet. cf. d. r. m. 253—256.

Verbi *iacio* composita *per unum solent scribi i*, ut *obicio reicio*, sed quod paene sonaret *ji*. Post mortem tamen Augusti saepe in eis praepositio corripitur. Similiter *biiugus quadriiugus* semper habent antepaenultimam brevem, pronuntiandumque *bĭugus*, *quadrĭugus*.

§. 29.

Alterum est genus contractionis, quo sonus tantum, non scriptura verbi mutatur ad vitandum hiatum. Ea dici solet *synizesis* vel *synaloephe*.

Ac primum quidem memorandum rarissimum et a bonis auctoribus alienum genus synizesis, quando *i* brevis sequente consona delitescit in metro, veluti Lucretius *oriundum* dixit tribus syllabis et correpta *o*. De hoc dictum d. r. m. 249.

Longe usitatior est ea synizesis, *qua 'i' vel 'u' mutantur in consonam*.

Haec synizesis *numquam*, ne apud scaenicos quidem, invenitur in versibus *iambicis vel trochaicis*, et rarissime in *logaoedicis*, ac potissimam in *dactylicis*. *Neque admittitur in mediis compositis*, ut scribendum pronuntiandumque sit *semanĭmus*, *semesus*, *semhomo*, non ut vulgo fit *semjanimus*, *semjesus*, *semjhomo*. Ita et *Sesquulixes* vel *Scsculixes* dicitur. Exclusa est eadem a coniugationibus praeter pauca exempla antiquissimorum et recentissimorum poetarum. Nec magis admittitur quando geminata praecedit consona, sed pro *passuum* dixere Lucilius et Martialis *passum*, pro *curruum Vergilius currum*, pro *quattuor* Ennius et Seneca *quattor;* cf. d. r. m. 256. Simul *u* et *i* mutare in consonas solus sustinuit Statius in comparativi forma *tenvjor*. Alia exempla satis durae synizesis sunt *vietus* disyllabum apud *Horatium*, *omnia* apud *Vergilium*. Invenitur haec synizesis maxime in vocabulis aliter numero dactylico ineptis, et quidem *in hexametri pede primo, quinto, sexto*.

Itaque Lucretius saepius adiectivum *tenuis* adhibuit *u* mutata in consonam, nisi forte id traxit ex vulgari pronuntiatione, Catullus in phalaecio metro dixit *Camerjum*, non alibi. At *Vergilius* vicies bis ea usus synizesi in vocabulis

abjete, abjetibus, arjete, arjetat, parjete, parjetibus, tenvia, tenvis, genva, fluvjorum, steljo, omnja, precantja. Contra *in initio aeneidos* dixit:

> Italiam fato profugus *Lavinaque* venit
> litora,

non *Laviniaque.*

Horatius contractis syllabis dixit in hexametris *Nasidjeni, vindemjator, vjetis, Serviljo,* bis *pitvita,* in alc. hend. *consiljum, principjum.* Apud *Ovidium* bis idem invenitur metam. VII, 151; XV, 718:

> dentibus horrendus custos erat arjetis aurei.
> et tellus Circaea et spissi litoris Antjum.

Contra in illo [metam. XV, 709]:

> inde legit Capreas promunturiumque Minervae

videtur *promunturium* antepaenultimam habere correptam.

Ter admisit synizesin Propertius in his quae sunt *abjegnae abjegni,* semel Iuvenalis sic [6, 82]:

> comitatast Eppia ludjum.

Omnino abstinent ab ea Tibullus, Seneca, Martialis cum plerisque poetarum, qui fuerunt post Augustum.

Huc autem non pertinent, quamquam id creditur vulgo, versus in quibus est *fortuitus* quod, ut *gratuitus* habet paenultimam communem, aut *conubium,* in quo secunda etiam communis.

Larua larualis apud Plautum et in priapeis invenitur, at apud *Horatium* et posteriores *larva. Miluus* ad Persium usque fuit trisyllabum, postea disyllabum, *relicuus* usque ad idem tempus fuit tetrasyllabum, postea dicere coeperunt *reliquus. Gaïus* apud omnes bonos auctores est trisyllabum.

In vocabula Graeca i vel *u* consona non recipitur. Itaque semper dicendum *iambus,* non *jambus, Agaue, euangelium,* non *Agave, evangelium.* Nam quod apud *Horatium* IV, 2, 2 *Iulus* legitur disyllabum, ubi *Antonium* appellat, hoc vocabulum tam est Latinum quam Graecum. Contra Aeneae filius semper dicitur *Ĭulus.* Excipiuntur tamen *Troia, Aiax,*

Maia, Graius, quae olim sunt recepta in sermonem Latinum. Aliter res habet in vocabulis barbaris ut *Iudaeus.*

Dictum de *i* vel *u* mutatis in consonam d. r. m. 256—262.

§. 30.

Contraria autem huic generi synizesis est *dihaeresis,* quae tamen rarissime invenitur.

Ita Lucretius *suadeo* quattuor dixit syllabis et tribus *suesco suetum.* Praeterea in verbi quod est *volvere* compositis saepe *v* secundum mutat in vocalem. Item dixit *acuai* et *acuae.* Ita Cicero et Phaedrus *suesco,* Catullus et Tibullus et *Ovidius,* non Propertius, *solvuo* et *voluo,* maxime in compositis. Apud *Horatium* in saturis I, 8, 17 legitur trisyllabum *suetae,* in iambicis 13, 2 et lyricis I, 23, 4 *siluae.* Sed quod apud Propertium V, 10, 31 invenitur *Vëius,* ap. Martialem XIII, 74, 1 *Tarpëia,* horum exemplorum diversa videtur esse condicio. Cf. d. r. m. 264. Alioqui post Augusti tempus dihaeresis apud bonos auctores non invenitur. Dictum de ea pg. 262—264 l. n.

§. 31.

Alterum genus synizesis fit ita, ut oriantur diphthongi, sive usurpatae alioqui sermone Latino vel Graeco, ut *ae oe au ei oi ui eu,* sive non usurpatae. *Haec synizesis praeter nomina propria et vocabula quae descendunt a 'duo,' ut 'duellum' 'duellicus,' subsistit in compositis* vel *in disyllabis.* Ex priore genere est, quod vulgari usu obtinet, *coepi* pro *coëpi,* qua usus est forma Lucretius IV, 619. Sic *coemisse* apud Terentium invenitur trisyllabum. Contra *aënus, aëneus* semper habent vocales diductas. Per *ei eu oi ui* diphthongum haec antiquitus extulere poetae: *dein deinde deinceps ceu neu seu neuter proin proinde huic cui* vel *quoi;* quibus non omnino similia fuere sono, quae post *e o u* habent *i* consonam, *eius reicio huius cuius* vel *quoius.* Nam cum *i* consona sequente vocalis producatur, potius prima syllaba in his similiter sonuit atque in α, η, ω cum iota subscripto Graecorum. *Dein deinde deineps ceu neu seu neuter* etiam vulgari usu

habuere diphthongum. Contra *dehinc* rarissime est monosyllabum, aliquoties apud *Vergilium*, singulis locis apud Propertium, *Ovidium*, Statium. *Neutiquam* efferendum *nutiquam;* ut careat diphthongo; neque *anteire* umquam habuit synizesin; nam pronuntiandum scribendumque *antire*. *Proinde* a Lucretio semper per diphthongum effertur. Apud reliquos raro inveniuntur *proin proinde*, modo diductis vocalibus, modo coalitis. *Cui huic* usque ad Senecam et Statium semper fuere monosyllaba, deinde saepe aequarunt pyrrichium, a saeculo III etiam iambum.

Reicio apud *Vergilium* in bucolicis [3, 96] et auctorem Ciris [118] per synizesin fit trisyllabum ut *eicere* apud Lucretium [ut IV, 1271] et *deicere* apud *Horatium in saturis* [I, 6, 39]. Lucilius [XXX v. 56] ut Lucretius [I, 149] et Cicero [phaenom. 87] et auctor elegiae ad Messallam [35], quae in Vergilii est catalectis, etiam *cuius* et *eius* extulere monosyllaba.

Denique *ei* dativus habet tres mensuras, aut spondiacam aut trochaicam aut monosyllabam. Monosyllabam adhibuit Catullus, spondiacam Lucretius et Manilius, iambicam primus *Ovidius in halieuticis* [v. 34] ac deinde alii. Sed omnino hic dativus rarissime apud optimos poetas invenitur, plane ut *eius eorum earum* genetivi atque adeo reliquae huius pronominis formae.

Restat ut duriora quaedam et rariora synizesis huius adferantur exempla.

Itaque apud Catullum [40, 1] invenitur *Ravide* trisyllabum velut *Raude*, apud Lucretium et Horatium in saturis habes *quoad* et *prout* monosyllaba (nisi haec diductis partibus sunt efferenda), apud Lucretium *suo* monosyllabum, ut apud Senecam *suapte* disyllabum. Ita Catullus illud *praeoptarit* adhibuit trisyllabum [64, 120], *Horatius Pompei* et *Vultei* vocativos disyllabos [c. II, 7, 5; ep. I, 7, 31]. Composita, quae habent *circum* ut *circumeo*, *circumerro*, numquam patiuntur synizesin, sed aut amittunt *m* ut *circŭeo* aut tmesin patiuntur ut apud *Vergilium:*

circum errant acies, et ni mea cura resistat.

Denique hoc loco notandum *nunciam* apud *dactylicos* semper habere *i* consonam, at *etiam* et *quoniam* semper vocalem.

In vocabulis Graecis diphthongus *υι* ut in *Ἅρπυια* apud optimos auctores mansit, qualis est apud Graecos. Praeterea dixere quidam *Phaethontem*, Petronius *Laucontem* per *ae* et *au* diphthongum tribus syllabis. In nominibus, quae finiuntur in *εύς*, *nominativus* et *genetivus*, vel aliquando, ut ap. Verg. ecl. 4, 57; aen. V, 184, *dativus*, *eus*, *ei*, apud Romanos usque ad finem saec. p. Chr. primi etiam vulgari pronuntiatione *dati per diphthongum;* et ita poetae optimi, licet dixerit Culicis auctor bis [117; 269] *Orphĕus* et *Phaedrus* [V, 1, 1] *Phalerĕus*. Praeterea Romani, secuti Graecos, interdum *ẹo* in nominibus propriis mutarunt in *eu*. Ita dixit Ovidius *Theudotum*, Claudianus *Theudosium*.

Dictum de hoc genere synizesis pgg. 264—274 l. n.

§ 32.

Restat synizesis ea, quae fit in finalibus substantivorum et adiectivorum in *ĕus ĕa ĕum* exeuntium. Non cadit in adiectiva, quae etiam breviorem habent finem, ut *aheneus*, *aenus*, *eburneus*, *eburnus*, *iligneus*, *ilignus*. Ad imitationem Homerici exempli primum adhibita est a Catullo, mox ab aliis, sed semper raro admodum praeter nomina propria.

Non adhibetur in metris iambicis vel trochaicis, nec aliter nisi ut *e* sit brevis. Et sequitur paene semper finalis longa. Occupat in heroico metro, in quo fere solo adhibetur, primum potissimum pedem aut sextum.

Ut aliis synizesis generibus etiam haec *Vergilius* saepius usus in re difficili vel atroci describenda ut

ferr*ei*que Eumenidum thalami et discordia demens.

Ea primum ut memoravi usus Catullus in carmine epico de nuptiis Pelei et Thetidos; ubi inveniuntur cum synizesi [64, 336; 178] *Peleo*, *Idomeneos*. *Vergilius* sat saepe hac usus licentia apud quem exstant XXI versus cum synizesi tali in verbis *alveo*, *aerei*, *aureo*, *aurea*, *aureis*, *ferrei*, *Eurystheo*, *Menestheo*, *Orphea*, *Typhoeo*, *Typhoea*. Praeterea idem

georg. IV, 355 *Penei* adhibuit cum synizesi, quod nisi est corruptum descendit a nominativo *Penĕos*, sicut Ἀλφεός dicitur pro Ἀλφειός, et *alvearia*, quod descendit vocabulum ab *alveo*, dixit quattuor syllabis in georgicis, IV, 34.

Apud *Horatium* in saturis inveniuntur ita coacta *cerea*, *ostrea*, apud Tibullum *alveo*, apud Propertium *Enipeo*, *Nereo*, *Prometheo*. Exempla autem genetivi nominum propriorum in εύς exeuntium, ut supra memoravi, huc non pertinent.

Temporis post Augustum auctores ex maiore parte abstinuere hac synizesi; reliqui ea non sunt usi *nisi in nominibus propriis et* vocabulis *alveus*, *balteus*, *aureus*.

Cf. de hac synizesi pg. 274—76 l. n.

De elisione [d. r. m. 276—301].

§ 33.

Vocalis sive 'm' littera (quae in exitu verborum parum audiebatur et cum praecedente vocali velut novum efficiebat sonum) quando est in ultima syllaba sequente vocali vel 'h', ad evitandum hiatum finalis vocalis pronuntiando liquefacta ita coniungitur cum sequente, ut in metro omnino non numeretur. Haec male vocatur 'elisio', cum non eximatur finalis — exceptis, ut videtur, encliticis *que ve ne* —, sed obscuretur celeritate pronuntiandi, ut habeas etiam hic *synizesis* vel *synaloephes* formam quandam. De hac re digna cognitu quae scribunt Cicero orat. 44, 150; 45, 152; auct. ad. Herenn. IV, 12, 18; Quintil. instit. orat. IX, 4, 33.

Elisio autem (nam hoc nomine iam usuri sumus, quia optinet vulgo) minus aspera est in thesi quam in arsi.

Facilius autem et *saepius fit*, si finalis sit *brevis*, quam si in *m* exeat. Nam in *m* exeuntes finales, etsi breves semper fuerunt, cum sint sono magis spisso quam finales breves sine *m*, pronuntiandi tempore quasi mediae sunt inter breves et longas. *Durior* etiam est elisio *longae*. Ex finalibus brevibus *saepius* eliduntur *e* vel *i*, quae sunt sono tenuissimo, quam *a o*, quae sonant plenius. Ex *longis* rarius propter

causam eandem eliduntur *a o u*, quam *e* vel *i*. Omnium plurimum offensionis habet elisa diphthongus *ae*.

Denique in encliticis *que ve ne* revera videtur esse omissa finalis sequente vocali pronuntiatumque ut puta *atqu' omnes*.

In *aeneidis* libri primi versibus primis octoginta, ut exemplo supra exposita firmentur, inveniuntur elisiones vocalium *brevium* XXI, in his *que ne* elisa quattuordecies. In *m* exeuntes elisae XII, *longae* VIII, in his semel *ae* diphthongus.

Praeterea quando praecedit *vocalis pura*, *raro* eliditur finalis et rarissime quidem, si sit *longa*, ut parum placeat versus *Vergilii* [aen. X, 179]:

hos parere iubent Al*pheae* ab origine Pisae.

Unde *Horatius* carm. I, 12 initio dixit:

quem virum aut heroa lyra vel acri
tibia sumis celebrare Clio?
quem deum?

non *quem deum aut heroa*, ut poscebat ordo legitimus, ne *deum* elideretur.

Cet. cf. d. r. m. 278, 79.

Praeterea *in Graecis nominibus* finales Graecae, et non Latinae, ut in *Tisiphone*, *Allecto*, *Electrā* (nominat.) ab optimis poetis, ut a *Vergilio* et Propertio, *raro* sunt elisae, ab aliis ut ab *Ovidio* numquam.

Quantum ad circuitus et tonos verborum attinet, omnium rarissime solent elidi *monosyllaba longa* sive *iambica* vel *cretica*, multo magis *spondiaca* vel *anapaestica*.

Quantum ad initia verborum, ante quae vocalis vel *m* finalis locata est, *durior* est elisio insequente syllaba *brevi* quam *longa*, et insequente syllaba *acuta* vel *circumflexa* quam *gravi*. Atque adeo *iambica* sequente *acuta vel brevi* a bonis poetis numquam eliduntur. Cet. cf. d. r. m. 284, 5.

Porro *facilius* elegantiusque elisio fit in *thesi* pedis quam in *arsi*, ut iam dixi.

Denique longe minus gratus est hiatus et ob id magis frequens elisio, si initium secundi verbi incipit ab eadem vocali, qua finitur prius, ut in illis: ebrio*sa a*cina, mul*ti il*lum, il*la ha*beant.

Praeterea h. l. apte addemus frequentissime solere elidi partes orationis eas, quae quotidiano usu multum usurpantur et quasi deteruntur, maxime in formulis quibusdam verborum ut *ille ego, certe ego, quare age, eia age.*

Ad removendam hiatus iniucunditatem *dactylici Graeci* ea fere usi sunt norma, ut corriperent finales longas in thesi, servarent easdem in arsi, finales breves α ε ο, nonnumquam etiam ι atque adeo αι diphthongum, in thesi eliderent, omnes rarissime adhiberent cum hiatu, contra in arsi etiam aliquando collocarent breves cum hiatu. Interdum tamen usi sunt eadem synizesi atque Romani ut in illo

Μηριόνης τ' ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρεϊφόντῃ.

Apud *Homerum* haud pauca, quae videantur a legibus illis aliena, nunc adhibito digamma aeolico sunt persanata. Quamquam posteriores epici, decepti exemplis carminum Homericorum corruptis aut male explicatis, interdum eas laeserunt.

At Romani crassioribus usi remediis *omnino non numerarunt finalem in hiatu positam.* Quamquam *eam*, ut supra iam dictum, praeter illa *que ve ne* pronuntiando *non exemerunt* totam, *sed obscurarunt*, quod quidem nobis, cum in maiore parte populorum recentium hiatus sit cura perexigua, difficile licet reddere sono.

Apparet tamen *per elisionem verba*, etiamsi multo artius copulentur quam sine elisione, *non* tamen *prorsus coalescere* in unum. Nam si hoc fieret, *non posset elisio admitti statim post finem ordinis metrici*, velut eius, qui fit per caesuram, quod tamen saepe evenit, ut in illo:

et nati natorum et qui nascentur ab illis.
multa gemens largoque humectat flumine voltum.

Ac tamen apparet hanc minus elegantem esse elisionem, ut etiam *illam*, quae fit *insequente interpunctione:*

aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.
omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis,

vel quae adhibetur *in verbis maiore vi sensus insignitis:*

me, me, adsum qui feci. in me convertite ferrum.
per te ego decipior, per te deprensus inermis.

§ 34.

Antiquissimi poetae scaenici Romanorum frequentissime usi sunt elisione (nam apud Plautum inveniuntur non ita raro versus cum quinis vel senis elisionibus) et saepe etiam tali, quam ut duram nimis vitarent dactylici. Nam ex his iam *Ennius et Lucilius* quandam circa elisiones adhibuere curam, cavendo ne nimis aut crebrae essent aut asperae; eamque etiam intenderunt *Lucretius*, *Cicero*, *Catullus*. At Augusti tempore *Vergilius*, quamquam asperitates elisionum plerasque vitavit, multitudinem tamen non perinde refugit. Ceterum, ut est versuum artifex subtilissimus, saepe utitur elisionibus, maxime longarum, ad res graves vel difficiles aut atroces describendas velut:

me, *me*, adsum qui fe*ci*, in me convertite ferrum.
stant terra defi*xae* hastae.
mon*strum* horren*dum*, infor*me*, ingens, cui lumen ademptum.

Magis etiam hoc elisionibus et frequens et audax *Horatius in saturis* (minus *in epistulis*, quarum numeri magis sunt castigati). Contra *Ovidius* ut asperitates elisionum perhorruit, ita numerum valde imminuit. Exemplo rem declarabo. *Vergilius* in primo aeneidos, cuius sunt versus 756, elisit longam vocalem *octogies quinquies*, in *m* exeuntem *nonagies septies*, brevem *centies septuagies ter*. Contra *Ovidius* in metamorphoseon primo, cuius sunt versus 779, habet elisiones longarum *VIII*, in *m* exeuntium *XXIII*, correptarum *CXXIX*. *Horatius in odis et epodis* multo rariores ac minus asperas habet elisiones quam *in saturis vel epistulis*.

Poetae qui fuerunt *post Augustum*, quos partim ad *Vergilii*, partim ad *Ovidii* exemplum conformasse versus suos supra memoravi, utrum magis secuti sint, nulla re clarius quam elisionum et numero et rationibus demonstrant. Ex epicis autem omnes longe et paucitate et elegantia elisionum vincit Claudianus. Quantum ad reliquos, notandum in metris logaoedicis maiorem aliquanto esse raritatem elisionum et cautionem, quam in dactylicis vel iambicis. Id ostenditur aper-

tissime Senecae canticis, ea si cum diverbiis, quae iambicis conscripta sunt trimetris, compararis. Praeterea in minoribus versibus magis abstinent poetae ab elidendo quam in maioribus.

Denique dignissimum memoria, poetarum, qui fuerunt *post Augustum*, partem longe maiorem omnino fuisse multo parciorem cautioremque in elisionibus admittendis quam eos, qui priores. Unde quidam illorum aut rarissime aut numquam admittunt elisiõnem.

§. 35.

Iam ut *elisionis subtiliores quaedam* addantur *observantiae, non possunt elidi monosyllaba longa aut in 'm' exeuntia insequente brevi . syllaba, nisi quae sunt indeclinabilia aut a flexione legitima aliena.* Itaque possunt elidi velut *me, te, se, mi* pro *mihi, tu, qui* in singulari, *si, ni, de, cum, tum, num, iam, nam, quam, tam, sum,* non possunt elidi velut *re, spe, do, sto, rem, spem, dem, stem, sim,* quia habes similiter flexa *velim nolim malim duim.*

Iambica sequente vocali acuta vel brevi non solere elidi iam supra memoravi. Sed haud pauci poetae *ne in gravi quidem syllaba* ea eliserunt, ut Lucretius, Tibullus, *Ovidius* in distichis praeter epistulam Helenae [her. 17, 97], Seneca in canticis.

Cretici in brevi elisi inveniuntur apud Ennium, Lucilium, Catullum praeter hexametros continuos, *Horatium* in saturis, auctorem priapei 85 [7], in trimetris Senecae, numquam alias usque ad Iuvenalem. Cf. d. r. m. 285, 86.

Sed etiam *spondiacorum in brevi elisio ab Ovidio inde* raro invenitur. Quid quod multi auctorum posteriorum, ut Claudianus, omnino abstinuerunt ab ea? Alii, ut Catullus in hexametris continuis, Tibullus praeter panegyricum Messallae [IV, 1], qui est alius auctoris, *Ovidius in distichis*, auctor Nucis, Lucanus, Martialis, in primo solum pede talem elisionem sibi permiserunt. Cf. d. r. m. 286—289.

Praeter iambica etiam *longas finales qualescumque noluerunt in arsi elidere*, quando haec constat syllaba *acuta* vel

circumflexa, ut fit in versu quodam spurio Ovidii:

et sine *me ánte* tuos proiectum in limine postis.

Itaque nonnulli, ut Tibullus et *Ovidius in distichis* omnino a tali elisione abstinuerunt. Reliqui, ex quibus *Vergilius* saepe, *Ovidius*, Lucanus, Claudianus ea raro admodum utuntur, *maxime in quinta arsi* hexametri eam admiserunt. — Etiam parum est elegans elisio longarum, *maxime iambicorum*, in arsi facta, si sequens verbum in tertia vel quarta syllaba habeat accentum, ut: '*multi advenére*', '*equo imposuísse*'.

Denique optimi poetae ut iambica in brevi aut acuta et cretica in brevi elidere noluerunt, ita etiam *pyrrichiaca vel dactylica* in *m*, *a*, *o* exeuntia raro eliserunt sub condicione eadem, exceptis vocabulis *pyrrichiacis, quae sunt indeclinabilia*, h. e. coniunctionibus vel adverbiis, ut *quidem enim ita modo.*

Itaque dactylica in *m* exeuntia numquam eliserunt Tibullus, auctores Priapeorum, Gratius, Seneca in canticis, Claudianus multique alii, *Ovidius* bis [amor. III, 6, 101; metam. VI, 524], Lucanus semel [I, 231], Iuvenalis bis [6, 151; 14, 73].

Ita dactylica in *a* castigatissimus quisque auctor non elisit, nisi aut in primo pede aut sequente *a*.

Quantum ad pyrrichiaca in *m* exeuntia, quod legitur apud *Horatium* in hexametris 'nec mo*dum hăbet*' et 'in di*em ĕt* horam', apud *Ovidium* in pentametri initio 'ipse fe*ram* ánte tuos', elisione facta in partibus orationis quae declinari possunt vel coniugari, huius licentiae vix inveneris exemplum simile in versibus dactylicis temporis posterioris et vel alibi rarissime.

Simillima autem est cautio, ut iam dixi, in pyrrichiacis, quae in *a* vel *o* exeunt, elidendis. Cf. d. r. m. 290—292.

§ 36.

Praeterea refert permagni, qua in parte versus fiat elisio. Qua admissa cum haud dubie retardetur rhythmus et interrumpatur, apparet *melius eam, convenire initiis ordinis metrici*, quae maiore fruuntur libertate, quam finibus. *Exempta* tamen est *prima metri syllaba*, in qua elisio vix umquam admittitur, ne statim in principio numerus turbetur et obscuretur.

Itaque in hexametris *ab Augusti inde tempore* usque ad Iuvenalem praeter *Horatium in saturis* et Persium et *Vergilium in bucolicis* [3, 48] et catalectis [1, 4] atque auctorem Ciris [294] non invenitur exemplum simile. In iambicorum et logaoedicorum versuum initiis Catullus interdum admittit elisionem, *Horatius* numquam, nisi ita, ut praecedat versus hypermeter ut:

aureos educit in astra nigro*que*
*in*videt Orco.

Neque magis saec. p. Chr. primi poetae hoc admisere, licet Seneca in trimetrorum iambicorum initiis aliquando, sed rarissime, utatur elisione. Cet. cf. d. r. m. 292, 93.

Neque magis quam in prima versus syllaba, *admittitur elisio in ultima.* Itaque in hexametris ea non invenitur usque ad Iuvenalem nisi apud Lucilium et *Horatium*, et tribus *Vergilii* Siliique in versibus [aen. IX, 57; 440; de bello Punico sec. IX, 35], his quidem exemplis: *huc turbidus atque huc, hinc comminus atque hinc, ruite ocius atque hunc.* Sed supra iam dixi in particula *que* revera elisam finalem *e.*

Similiter ultima in pentametris numquam eliditur, nec magis in trimetris iambicis. Contra *in systematis lyricis Horatii*, quae lege quadam synaphiae tenentur, excepto versu quarto, potest fieri elisio, ut in illis [II, 16, 37, 38]:

vestiunt lanae. mihi parva *rura et*
spiritum Graiae tenuem Camenae.

Numquam tamen similia admittit in canticis Seneca, quippe qui synaphiae legem contemnat. Cet. cf. d. r. m. 296, 97.

Hic etiam agendum *de versibus hypermetris.*

Sunt enim metra quaedam, quae non possint stare, nisi elisa syllaba ultima in prima metri insequentis.

Ac primum quidem memorandi *hexametri hypermetri.* Qui ex perversa imitatione Homeri et Hesiodi quorundam versuum [d. r. m. 294] et Alexandrinorum exempli orti ac primum sunt adhibiti a Lucilio XVII, 6; deinde a Lucretio, Catullo in hexametris continuis (non 115, 5), *Vergilio in georgicis et aeneide*, ab hoc paullo saepius quam a reliquis, porro ab

Horatio in saturis, *Ovidio* in metamorphosibus, sed ab omnibus praeter Vergilium rarissime, denique semel a Valerio Flacco [argon. IV, 293].

Tali autem occasione semper longa est syllaba paenultima, ultima autem paene semper enclitica *que* ut in his [aen. IV, 628 sqq.]:

littora littoribus contraria, fluctibus undas
imprecor, arma armis! pugnent ipsique nepotesque.
haec ait, et partis animum versabat in omnis.

Exceptis duobus *Vergilii* versibus, quorum est in fine *decoquit humorem, tecta Latinorum*, semper in *e* breve ac plerumque in *que*, sicut modo memoravi, exeunt hi hypermetri. Interpunctione post versus hypermetros unus ausus est uti aliquotiens *Vergilius*.

Pulchre autem hic usus est tali metro in sexto aeneidos 662, 63:

quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis;

in quibus versu aegre stante redditur imago saxi ruinam minitantis.

Alia autem res est, quando elisio fit post ultimam partem versuum, qui aut possunt aut debent iungi per synaphiam. Itaque in versibus *sapphico, glyconeo, alcaico* Catullus et *Horatius* recte usi sunt elisione velut sic:

nullum amans vere, sed identidem omni*um*
ilia rumpens.
flammeum video veni*re*.
ite concinite in modum.
cur facunda parum deco*ro*
inter verba cadit lingua silentio.
sors exitura et nos in aeter*num*
exilium impositura cymbae.

Horatium tali occasione versum priorem semper finire longa syllaba supra iam indicavi. Sed post *Horatium* nemo similia ausus est.

Cf. de versibus hypermetris d. r. m. 293—296.

§ 37.

Quantum ad reliquas partes hexametri, notandum est, si adsit caesura penthemimeres, maximam inveniri et frequentiam et audaciam elisionum *in thesi primi pedis et arsi secundi et in toto pede quarto.*

Igitur *diligentissimus quisque versificator* elisionem longarum aut in *m* exeuntium syllabarum voluerunt his partibus hexametri et quidem solis contineri; alii certe in illis multo saepius quam in reliquis elisionem longarum aut in *m* exeuntium adhibuerunt.

Quantum *ad tertii pedis leges*, longe durior est elisio post caesuram h. e. in thesi quam in caesura h. e. in arsi eius. Itaque eleganter ea usus est *Vergilius* ad res atroces aut miraculosas describendas, ut aen. II, 745; V, 693, 94:

quem non incusa*vi* amens hominumque deorumque?
vix haec ediderat, *cum* effusis ignibus atra
tempestas sine more furit.

Nec minus *in secunda thesi* iniucunda elisio longae vel in *m* exeuntis.

Itaque a longa syllaba in thesi tertii pedis elidenda abstinuerunt auctores multi, ut Tibullus, Propertius, *Ovidius*, auctores Priapeorum, Martialis alii; cf. d. r. m. 299; ab elisione longae in thesi secundi pedis *Ovidius* in distichis, Tibullus praeter pentametrum I, 2, 58, alii autem multi auctores ea raro admodum usi sunt; cf. d. r. m. 299.

Contra in arsi tertii pedis, si sit *penthemimeris*, *Vergilius*, secutus antiquiores, et hunc imitati satis multi posteriorum, maxime epici, saepe admiserunt elisionem, ac potissimum in particulis *et, ac, aut, atque* (in hac nimirum cum elisione finalis) vel in praepositionibus *in, ab, ex* aliis, in hunc modum:

vela dabant lae*ti et* spumas satis aere ruebant.

Itaque apparet eos studuisse, ut quae sensu aperte pertinerent ad proxima, certe metri vinculis artissime iungerentur cum praecedentibus, *ne caesurae vis imminueretur*. Sed eadem licentia satis rara apud *Ovidium* eiusque asseclas.

In *quinto pede*, cum exclusus sit ab eo fere spondeus, ob id ipsum maior adest libertas elidendi quam in fine ordinis metrici expectes, maxime in arsi et thesi secunda, ut tamen *a thesi inde prima* raro admodum longae vel in *m* exeuntes elidantur vocales. Id etiam magis observatur in pede sexto. Cf. d. r. m. 298.

Denique si adsit *hephthemimeris cum trithemimeri*, eaedem fere elisionum observantiae adsunt atque in penthemimeri. Itaque tali condicione raro eliditur longa vel in *m* exiens in thesi secundi, tertii, quarti pedis, in arsi autem secunda tertia quarta pro varietate auctorum modo maior, modo minor obtinet elidendi libertas. Ceterum *si verbum pariter post tertiam et quartam arsin finiatur*, ut post arsin quartam interpunctio sit, in thesi quarta longa vel in *m* exiens syllaba elidatur, ut in illo:

haec finis Pria*mi* fa*torum;* hic exitus illum
sorte tulit,

haud dubie est statuenda *penthemimeris*, *non hephthemimeris*.

Etiam *in pentametro* maxime elisionum et frequentia et audacia *in thesi pedis primi et secundi arsi* reperitur. *In caesura* post Catullum ad Iuvenalem usque nemo admisit elisionem, *post caesuram* Tibullus semel et Propertius ter, nemo postea. *In posteriore parte pentametri* tam severa usi sunt lege Ovidius et plerique alii, ut longas vel in *m* exeuntes syllabas omnino non eliderent. Cet. cf. d. r. m. 300, 1.

In reliquis metris hae fere observantiae optinent, ut elisio raro adhibeatur in syllaba, quae est in caesura aut statim post caesuram, utque in ea parte versus, quae est ante caesuram aut media inter caesuram et finem versus, maxima adsit libertas. In iambicis trimetris Seneca permultas admittit elisiones, maxime in quinta arsi, quia ab hoc pede, ut supra memoravi, exclusus est iambus. *In metris lyricis praeter sapphicum Horatius* satis saepe circa caesuram admittit elisionem ut in illis:

hic bellum lacrimo*sum, hic* miseram famem
pestemque a popu*lo et* principe Caesare in.

Sed id sequentes studiose vitarunt.

§ 38.

Non autem pertinet ad elisionem, quando illud *est* iungitur cum vocali vel *m* praecedente, excepto quando illud in initio enuntiati vel ordinis metrici collocatur. Aliter enim, etiamsi non est copula, sed significat *existit* vel *licet*, semper omissa *e* in unum coit cum vocabulo praecedente ita:

homost, magnast, magnumst.

Apud Ennium et Lucilium ita etiam coalescit cum *ŭs* vel *ĭs* praecedente ut *datust, auxiliatust.*

Etiam *es* secunda persona *indicativi*, non imperativi, saepe patitur apocopen praecedente vocali vel *m;* sed an semper patiatur non satis constat. Itaque dixerunt veteres *homo's, femina's, tu quidem's.*

Praeterea *iste* pronomen apud optimos auctores, ut apud *Horatium* in epistulis II, 2, 163; apud *Vergilium* in aen. VI, 389, aliquando, sed raro admodum, amittit vocalem primam, non *ipse* aut *ille.*

Cet. cf. d. r. m. 301—304; 345.

Contra in adverbiis *magnopere, summopere* sim. semper fit elisio: nam Romani scripserunt ac pronuntiarunt *magno opere, summo opere;* cf. d. r. m. 289.

De hiatu [d. r. m. 304—312].

§ 39.

Interdum omissa elisione fit hiatus. Qui tamen apud dactylicos Latinos multo est rarior quam apud Graecos. Quid quod ipsi Plautus ac Terentius praeter caesuram aut finem diverbii et exceptis monosyllabis longis vel in m exeuntibus, quae in arsi essent collocatae sequente vocali brevi, satis raro usi sunt hiatu?

Hiatus autem prima est lex, ut eo magis possit admitti, quo durior et ingratior est elisio, eo minus, quo magis usitata et facilis haec est.

Itaque ingratissimus est hiatus, quando eaedem coeunt vocales; unde commode eo usus *Vergilius* in re atroci describenda ita:

ter sunt cona*ti* *im*ponere Pelio *O*ssam.
si pere*o*, *ho*minum manibus periisse iuvabit.

Praeterea multo durior et ob id rarior est hiatus in thesi quam in arsi.

Interiectiones tamen, quae constant una vocali, cum hiatu vel in arsi vel in thesi possunt adhiberi ita, ut maneant longae, ut:

o et de Latia, *o* et de gente Sabina.

Excepta tamen est *heu*; nam pro *heu heu*, quod saepe legitur in editionibus, ubique reponendum *cheu*.

§ 40.

In thesi praeter monosyllaba hiatus non est permissus nisi in syllaba longa, ut aliena sint a more *Vergilii* haec [ecl. 2, 53; aen. I, 405]:

addam cerea pruna. honos erit huic quoque pomo.
et vera incessu patuit dea. ille ubi matrem.

Ita etiam semel Columella v. 224 in nomine proprio et sequente nomine proprio, nisi corruptela adest, sed nemo praeterea usque ad Iuvenalem.

In *m* tamen exeuntes voces *dactylicas* vel *pyrrichiacas in thesi* aliquando hiare fecit *Ennius*, non Lucilius. *Monosyllabas in thesi cum hiatu* adhibuit aliquotiens Lucretius et semel Horatius [sat. II, 2, 28]:

quam laudas pluma. cocto *num* adest honor idem?

Longae finales in thesi semper corripiuntur. Nam quod legitur ap. *Horatium* II, 20, 13 'iam Daedaleō orior Icaro' est corruptum. Una est exceptio ap. *Vergilium* georg. I, 437:

Glaucō et Panopeae et Inoo Melicertae.

De qua v. d. r. m. 307.

Nec vero potest corripi longa finalis nisi *aut in creticis vel iambicis sequente longa aut in monosyllabis sequente brevi*, ut apud Ciceronem arat. frgm. 21:

hoc motu radiantis Etesiae īn vada ponti

et apud Horatium sat. I, 9, 38:

'si *me* ămas, inquit, paullum hic ades. inteream, si'.

Hiatu igitur priore usi sunt, sed omnes rarissime, Cicero, Catullus in hendecasyllabis [57, 7], *Horatius* in epistulis [II, 3, 65], Propertius [IV, 11, 17], *Ovidius* [am. II, 13, 21; metam. I, 155; III, 501], altero, non minus raro, Lucilius, Catullus in hexametris et hendecasyllabis [97, 1; 55, 4], *Horatius* [sat. I, 9, 38], auctor elegiae ad Messallam [61], denique utroque Lucretius et *Vergilius*, hic quidem paullo saepius quam reliqui. Abstinuere insequentes usque ad Iuvenalem.

Spondiaca vocabula cum hiatu non adhibuere, nisi Ennius epigr. I, 1; Vergilius georg. I, 437; Hor. epod. 5, 100.

Cet. cf. d. r. m. 304—309.

§ 41.

In arsi non potest esse hiatus brevium, sed in *m* exeuntium admisere Ennius [ann. 275], Tibullus [I, 5, 33], Propertius [III, 15, 1; 32, 45], Manilius [I, 795], praeterea Catullus ter in caesura pentametri, nisi corrupti sunt loci, [66, 48; 67, 44; 97, 2], scribendumque est potius *Chalybon, speraret nec linguam, utrumne os an culum.*

In longam finientes cum hiatu non adhibuerunt plerique omnes a Ciceronis inde tempore, nisi aut in caesura legitima penthemimeri vel aliquando hephthemimeri aut cum nomine proprio ut in illo:

Nereidum ma*tri* | et Neptu*no* Aegaeo.

Vergilius tamen, Ennium secutus, *etiam multiplicatis syllabis brevibus* aut *admissa interpunctione* utitur hiatu, ut in illis:

evolat infelix et femine*o* ululatu.

si pere*o*, hominum manibus periisse iuvabit;

et quidem identidem, ut par est, in re difficili vel atroci describenda.

Idem semel in monosyllabo admittit hiatum sequente brevi sic [aen. IV, 235]:

quid struit aut qua *spe in*imica in gente moratur?

sed paene solus; cf. d. r. m. 309. Hiatum in arsi habet cir-

citer *quadragies*. *Horatius* in lyricis semel [I, 28, 24] in tertia arsi ac paene dixerim caesura tetrametri dactylici, nisi corruptus est versus:

ossibus et capiti inhumato;

porro semel in trithemimeri hexametri epod. 13, 3; numquam alibi. *Ovidius* cum illis qui scripserunt eas heroidas, quae non sunt ipsius, habet *viginti sex* hiatus tales.

Catullus, Tibullus, Propertius hiatu longae in arsi non utuntur (nam Catulli 68, 158 est corruptus). Nec magis Nucis aut Priapeorum auctores. Posteriores Augusto poetae eum partim numquam admittunt, partim rarissime. Ab iambicis autem metris omnino est alienus.

Cet. cf. d. r. m. 309—312.

De productis propter positionem vocalibus [d. r. m. 313—321].

§ 42.

Quando in uno vocabulo vocalem brevem sequuntur duae vel plures consonae, ad proximam quae pertineant syllabam, prior syllaba etsi manet brevis, sustinet tamen vices longae.

Id ex antiquissimae pronuntiationis evenit more; unde apud *Homerum* vel sequente muta cum liquida raro corripitur brevis. Deinde per temporis cursum evenit, ut quod primum vivido ex vulgi usu esset ortum, retineretur propter auctoritatem. *Comici* tamen Graeci, ne vulgi aures offenderent, non magis quam *Plautus* et *Terentius* produxerunt breves sequente muta cum liquida.

Apud Romanos per multa saecula cum sermonis cura iacuisset, ubi vix tandem artes sunt illatae in Latinum agreste, facile licuit *Plauto* et *Terentio* plerasque *positionis* leges neglegere.

Itaque etiam hic *Ennius omnia ad severiores revocavit leges.*

Ac primum quidem ne iam posset corripi prima in talibus, qualia sunt *ille immo* sim., auctor fuit *geminandi consonas scriptura*, quando pronuntiando geminarentur.

Itaque *brevis vocalis semper producitur, quando sequuntur*

aut duplicata consona aut duae consonae qualescumque, quae non sint muta et liquida.

At *sequente muta tenui (c, p, t) vel aspirata (ch, f, th) cum liquida* aut *ante br, dr, gr brevem praecedentis syllabae vocalem semper et produci licet et, quod rarius fit, corripi.* Cf. d. r. m. 314, 15. Itaque in uno eodemque versu dixit *Ovidius:*

et primum similis volŭcri, mox vera volūcris,

et *Horatius:*

et Lycum nīgris oculis nĭgroque.

Ceterum in *latrandi* vocabulo primum *a* natura est longum, non positione. Syncope facta dicitur *sŭpra* et *discĭplina,* contra semper *manīplus.*

At numquam possunt corripi vocales, quas sequuntur consonarum iuncturae constantes ex mediis *(g, b, d)* et liquidis *l m n.* Itaque pro *cygnus,* quando *y* est breve semper reponendum *cycnus.*

Cet. cf. d. r. m. 313—316.

§ 43.

At in fine verborum collocata brevi vocali et sequente muta cum liquida praeter 'gn' semper manet vocalis brevis ut *ridentiă prata.* Sed pro *Gnosus, Gnidus, gnatus, gnarus, gnavus,* quando praecedit brevis, reponendum ubique *Cnosus, Cnidus, natus, narus, navus.* Cet. cf. d. r. m. 316.

Praeterea antiquissimi poetae Latini usque ad *Vergilium* et Propertium etiam sprevere *interdum* positionis legem sequente verbo, quod ab *s* impura inciperet. Ea licentia maxime invenitur *in primo et quinto pede* (in quinto propter naturam eius dactylicam), et quidem praecedente plerumque vocabulo dactylico, non trochaico, ut apud *Vergilium* [aen. XI, 308, 9]:

'spem siquam accitis Aetolum habuistis in armis,
ponitĕ. *spes* sibi quisque.

Usi sunt hac licentia, raro quidem omnes, cum *Vergilio,* qui uno eam admisit loco, Ennius, Lucilius, Lucretius, *Horatius in saturis,* Propertius, denique auctor culicis v. 195,

nemo postea usque ad Iuvenalem. Itaque *s* impura alibi tantum admittitur in eo loco metri, ubi perinde brevi et longae locus, ut apud Horatium epod. 17, 26:

levare tentă *s*piritu praecordia.

Aliter paullo res habet in *Graecis* vocabulis, ut tamen etiam in his multi (velut *Horatius*, Persius) abstinerent ab omni licentia. Ex reliquis Propertius dixit IV, 19, 21 *venundată Scylla*, alii quidam ut Seneca ac Iuvenalis aliquando sequente *z*, quae quidem, ut nunc *z* Francogallorum, illo tempore vix aliud sonabat in initio verborum quam *s*, positionis legem sprevere, plures in his tribus eisque solis vocabulis: *Zăcynthus*, *Scămandrus* (in his secuti Homerum), *smăragdus* sive *zmăragdus*, quae aliter non possunt intrare in metrum dactylicum, ut Lucretius, Catullus, Tibullus, *Vergilius*, *Ovidius*, qui quidem in halieuticis etiam dixit *lamyrosquĕ smarisque*, quamquam pro *Scamandro Vergilius* maluit dicere *Xanthum*.

Cet. cf. d. r. m. 316—319.

§ 44.

Produci breves finales sequentibus consonis duabus, quod *apud Homerum* est frequentissimum, *apud Romanos est rarissimum*. Veluti numquam hoc admisere Lucretius, *Vergilius*, *Horatius*, Propertius, *Ovidius*. Tamen invenitur interdum haec licentia, maxime in arsi et sequente *s* impura. Ita apud Ennium in annalibus legimus ‘populeā *frus*’ et ‘stabilitā *scamna*’, apud Catullum semel in hexametris [64, 186]:

nulla fugae ratio, nullā *spes;*

et septies in metris logaoedicis vel iambicis (cf. d. r. m. 320), denique apud Tibullum I, 5, 28; I, 6, 34 ‘pro ṣegetē *spicas*, servarē, *frustra*’. Ita nonnulli saec. p. Chr. I poetae, etiam epici ut Lucanus, Silius, Statius, porro Seneca in trimetris, denique Martialis ac Iuvenalis, sed ubique rarissime.

Cet. cf. d. r. m. 319—321.

Morem *s* abiciendi in finalibus *ĭs* et *ŭs* sequente consona, apud Plautum et Terentium frequentem, servavit Ennius ut in illo:

tum laterali’ dolor, certissimu’ nuntiu’ mortis.

Atque ita Lucilius, qui etiam os finalem in nominativis secundae ita truncavit, et Lucretius ac semel Catullus [116, 8]. Nam Ciceronis tempore poetae novi iam improbabant hunc morem. Cet. cf. d. r. m. 344, 5.

De productis in arsi finalibus [d. r. m. 321—333].

§ 45.

Productarum in arsi finalium (nam praeter finales *ne in arsi quidem* potest fieri productio brevis) *eaedem fere sunt leges atque hiatus in arsi accidentis.*

Itaque non licet *monosyllaba* in arsi produci neque finales *in vocalem* exeuntes, excepto quod Ennius dixit ann. 148:

et densis aquilā pinnis obnixa volabat

et *Vergilius*, nisi corruptus est versus, aen. III, 464:

dona dehinc auro graviā sectoque elephanto.

Praeterea mira et perversa imitatione Homerici carminis Accius, *Vergilius*, *Ovidius*, poetae pauci saec. p. Chr. primi *que* encliticam aliquando *producunt in primo pede et quinto*, si praecedat vocabulum dactylicum vel spondiacum, sequatur paeon tertius vel antibacchius cum altera *que*, utputa:

limina*quē* laurusque dei totusque moveri.
Arcesilaus atrox Prothoenor*quē* Cloniusque.

Vergilius, ut excellit diligentia exili, eo est progressus, ut *que* non produceret nisi sequentibus aut duabus consonis vel duplici consona aut liquida aut sibila. Cet. cf. d. r. m. 321, 22.

Iam Ennium et Lucilium secutus *Vergilius admisit productionem brevis finalis aut in caesura legitima, sive penthemimeri sive quod est rarius hephthemimeri, aut insequente vocabulo Graeco aut in verbis trium finalium brevium aut sequente interpunctione* ut:

omnia vincit a*mor;* et nos cedamus amori.
terga fatiga*mus* | hasta nec tarda senectus.
Pleia*das Hyadas* claramque Lycaonis Arcton.
muneribus, tibi pampineo gravi*dus* autumno.
ora*tis?* equidem et vivis concedere vellem.

Usus est sub his condicionibus brevium productione fere *quinquagies.*

Reliqui in hexametris eam fere non admittunt nisi aut in caesura aut sequente vocabulo Graeco, ut tamen *satirici* ab *Horatio* inde priore tantum utantur genere licentiae. Et plerique eam adhibuerunt rarissime, ter Catullus, quater Tibullus, sexies *Horatius*, decies *Ovidius* cum auctoribus heroidum, quae ei falso tribuuntur, ter Propertius [III, 28, 29; IV, 2, 11; V, 1, 17], binis locis Martialis, Persius, Iuvenalis. Alii ut Lucretius, Gratius, omnino abstinent ab ea.

In *pentametro* productae finali locus tantum est in caesura, ibique admodum raro, semel apud Propertium [II, 8, 8], bis apud Martialem [IX, 101, 4; XIV, 77, 2], numquam apud Catullum, Tibullum, *Ovidium.*

In *lyricis* carminibus quinquies *Horatius* hanc admisit licentiam in caesura aut sequente vocabulo Graeco [I, 3, 36; 13, 6; II, 6, 14; III, 16, 26; 24, 5], numquam Seneca.

In *iambicis* metris breves in arsi non possunt produci.

§ 46.

Praeterea notanda haec: Apud *Ennium* interdum *at et it* tertiae personae finales, quando in secunda *as es is* sunt longae, ex more aetatis eius producuntur, etiam in thesi ut

it eques, et plausu cava concutit ungula terram.
in*fīt*: o cives, quae me fortuna ferocem.

Nec minus producit *or* nominativum, quando genetivus habet *o* longam:

tollitur in caelum cla*mor* exortus utrimque.
cla*mor* ad caelum volvendu' per aera vagit.

Sed nemo posteā ex dactylicis. Contra *Plautus* et *Terentius* longas finales in *t*, *r*, *s* exeuntes simili condicione, secuti antiquum morem pronuntiandi, magis servarunt. Cet. cf. d. r. m. 324—30.

Porro *is* in secunda persona perfecti et futuri secundi per omne tempus habuit *i* commune; atque ita eorundem temporum paenultima in *imus, itis.* Cf. d. r. m. 325; 365.

Denique in perfectis *iit petiit* (non in *ivit, petivit*) et in compositis *it* finale usque ad Iuvenalem semper fuit longum; cf. d. r. m. 325.

Praeterea *pulvis* et *sanguis* interdum producta adhibentur ultima a poetis bonis, sed saepius correpta. Cf. d. r. m. 326.

In Graecis nominibus quae in *ā* exeunt, ut *Andromedā, Ledā, Electrā,* interdum, ut apud Vergilium, Tibullum, Ovidium, Martialem, sed numquam apud Lucretium et satiricos, quantitatem Graecam retinent in arsi. Cf. d. r. m. 388, 89.

Ita Ennius etiam in thesi videtur dixisse:

multa foro ponit et agoeā (ἀγυιά) longa repletur.

ARGUMENTUM.

L. S. III, IV.

Prooemium. 1—6.

§ 1 de syllabis, pedibus, basi, anacrusi, versibus, rhythmo, metro, catalexi, synaphia, systematis versuum 1—3.

§ 2 index poetarum, qui maxime pertinent ad rem metricam Latinam 3—6.

Caput I. de studiis poetarum Latinorum metricis 7—26.

§ 3 de Saturnio metro 7. de allitteratione et homoeoteleuto 7, 8.

§ 4 de Livii Andronici et reliquorum scaenicorum usque ad Ciceronis tempus rationibus metricis 8, 9.

§ 5 de Q. Ennio et reliquis dactylicis usque ad Ciceronis tempus 9, 10.

§ 6 de dactylicis Ciceronis aequalibus 10, 11.

§ 7 de dactylicis Augusti aequalibus 11—14. de Vergilio Ovidio, Horatio, Tibullo, Propertio 11, 12. de Horatii epodis et odis 12, 13. de catalectis et Priapeis 13. de tragicis 13, 14.

§ 8 de poetis, qui fuerunt post Augustum usque ad VI. p. Chr. n. saeculum 14—17. de Phaedro 16. de poetis medii aevi 17.

§ 9 Romanorum ars metrica comparata cum Graecorum 17.

§ 10, 11, 12 usitatissima dactyl. Lat. metra 17—26.

§ 10 simplicia. 1) dactylica 17, 18. 2) anapaestica 18, 19. 3) iambica 19. 4) trochaica 20. 5) ionica a minori 20. 6) ionica a maiori 20, 21.

§ 11 composita. 1) logaoedica 21, 22. 2) asynarteti 22.

§ 12 systemata Catulli et Horatii 22—26. 1) Catulli 22, 23. 2) Horatii a) epodon 23. b) odarum 24—26.

Caput II. de pedibus versuum 26—36.

§ 13 de lege metri et licentia 26. de septem generibus exceptionum metricarum 26—28.

§ 14 de sex legibus pedum 28, 29. de usu synaphiae 28.

§ 15 de dactylicorum versuum pedibus 29, 30.

§ 16 de iambicorum 30—33 (de spondeo admisso pro iambo

30, 31. de anapaesto 31, 32. de soluta arsi 32, 33. de proceleusmatico 33). de trochaicorum 33. de ionicorum a minori 33, 34. de ionicorum a maiori 34.

§ 17 de logaoedicorum 34—36.

Caput III. de caesura. de rhythmis versuum. de tmesi et enclisi. de interpunctione versuum 36—53.

de caesura 36—41.

§ 18 de caesura 36. de caesuris hexametri dactylici 36—38. de caesura pentametri 38. de tetrametri 38.

§ 19 de caesuris trimetri iambici 38, 39. de caesura trimetri catalectici 39. de tetrametri catalectici 39. de trochaicorum versuum 39. de ionicorum 40.

§ 20 de caesuris logaoedicorum versuum 40—41.

de rhythmis 41—47.

§ 21 de legibus rhythmicis versus Graeci vel Latini 41, 42.

§ 22 de rhythmis hexametri dact. 42—45. eius partis, quae est ante caesuram 42. posterioris partis 43. versuum spondiacorum 43, 44. pentametri 45, 46.

§ 23 de rhythmis reliquorum versuum 46, 47.

§ 24 de tmesi et enclisi 47—50. de priore tmesis genere 48. de altero 48, 49. de enclisi 49, 50. de accentu 50.

§ 25 de interpunctione versuum 50—53. de interpunctione quae fit in fine ordinis metrici 50—52. de i. q. f. extra finem ord. metr. 52. de interp. systematum 52. de vocabulis nonnullis raro in initio metri aut fine collocatis 52, 53.

Caput IV. de synizesi et dihaeresi. de elisione et hiatu. de productis propter duplicem consonam insequentem aut arsis vi syllabis 53—79.

de synizesi 53—61.

§ 26 hiatus quid sit 53. de hiatu qui fit in medio verbo ib.

§ 27 de vocali pura in latinis 53, 54. in graecis 54. de copulatarum vocalium sono vel ingrato vel grato 54, 55.

§ 28 de contractione vocalium 55. de verbi *iacio* compositis 56.

§ 29 de vocali delitescente 56. de *i* vel *u* mutatis in consonam 56—58. quando non admittatur haec synizesis 56. num in vocabula Graeca vel barbara recipiatur eadem 57, 58.

§ 30 de dihaeresi 58.

§ 31 de coalescentibus maxime in verbo composito vel disyllabo vocalibus 58—60. quando coalescant in Graecis 60.

§ 32 de synizesi *eus ea eum* finalium 60, 61. quando non adhibeatur 60. *alvearia* tetrasyllabum 61.

de elisione 61—71.

§ 33 quid sit elisio 61. quando sit facilior, quando durior 61—63. de elisis brevibus, in *m* exeuntibus, longis 61, 62. de elisis *que ve ne* 62. de elisa finali, cui praecedit vocalis pura 62. de elisis finalibus Graecis 62. de reliquis elisionis observantiis 62, 63. de Graecorum et Romanorum in hiatu removendo diversis placitis 63. num elisione vocabula coalescant in unum 63.

§ 34 de diversa pro poetarum temporibus vel rationibus frequentia elisionis 64, 65.

§ 35 de elisis monosyllabis, iambicis, creticis, spondiacis 65. de elisis in sequente acuta vel circumflexa vocalibus 65, 66. de elisis dactylicis vel pyrrichiacis in *m a o* exeuntibus 66.

§ 36 de elisione in prima versus syllaba 66, 67. in ultima 67. de versibus hypermetris 67, 68.

§ 37 de elisione in reliquis versus partibus 69, 70. in primo et secundo et tertio pede hex. dact. 69. in penthemimeri 69. in quinto pede vel sexto 70. in hephthemimeri vel trithemimeri 70. in pentametro 70. in reliquis metris 70.

§ 38 de *est* vel *es* inclinato 71. de *iste, magnopere* simil. ib.

de hiatu 71—74.

§ 39 hiatus quid sit 71. quando sit durior, quando minus durus 71, 72. de *o a heu* interiectionibus 72.

§ 40 de hiatu in thesi 72, 73. de hiatu brevium 72. in *m* exeuntium ib. longarum 72, 73.

§ 41 de hiatu in arsi vel vi caesurae vel sequente vocabulo Graeco vel propter alias causas admisso 73, 74. de hiatu in *m* exeuntium 73. longarum 73, 74.

de productis propter positionem vocalibus 74—77.

§ 42 de productis in medio vocabulo positionis vi brevibus 74, 75.

§ 43 de finali brevi manente sequentibus duabus consonis in vocabulis Latinis 75, 76. in Graecis 76.

§ 44 de finali brevi producta sequentibus duabus consonis 76. de omissa *s* in finalibus *ĭs, ŭs, oς* 76, 77.

de productis in arsi finalibus 77—79.

§ 45 de productis vi caesurae vel sequente vocabulo Graeco vel propter alias causas finalibus 77, 78. de *que* producto 77.

§ 46 de finalibus quibusdam in *t, r, s* exeuntibus 78, 79. de Graecis in *ā* exeuntibus 79.

3 0112 072344226

Schriften von Lucian Müller

im Verlage von **B. G. Teubner** in Leipzig.

Muelleri, Luciani, de re metrica e poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium libri septem. Accedunt eiusdem autoris opuscula. [491 S.] gr. 8. 1861. geh. n. *M.* 8.—

———— Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden. Mit einem Anhange über die lateinische Versification der Niederländer. [VIII u. 250 S.] gr. 8. 1869. geh. n. *M.* 5.—

———— de Phaedri et Aviani fabulis libellus. [IV u. 34 S.] gr. 8. 1875. geh. *M.* 1.—

———— Leben und Werke des Gaius Lucilius. Eine literar-historische Skizze. gr. 8. [VIII u. 43 S.] geh. n. *M.* 1.20.

Catulli carmina. Recensuit Lucianus Müller. [LXXXII u. 134 S.] 8. 1871. geh. *M.* —.45.

Catulli, Tibulli, Propertii carmina. Accedunt Laevii, Calvi, Cinnae aliorum reliquiae et Priapea. Recensuit et praefatus est Lucianus Müller. [LXXXII u. 134 S., XXXI u. 64 S., LI u. 138 S.] 8. 1870. geh. *M.* 2.70.

Horatii carmina. Recognovit et praefatus est Lucianus Müller. [LXXX u. 279 S.] 8. 1869. geh. *M.* 1.—

———— carmina. Lucianus Müller recognovit. [Elegante Miniaturausgabe mit Titelvignette in Kupferstich. 362 S.] 16. 1874. geh. n. *M.* 2.40, elegant gebunden mit Goldschnitt n. *M.* 3.60.

Lucili, C., saturarum reliquiae. Emendavit et adnotavit Lucianus Mueller. Accedunt Acci (praeter scaenica) et Suei carminum reliquiae. [XLVIII u. 372 S.] gr. 8. 1872. geh. n. *M.* 9.—

Optatiani Porfyrii, Publilii, carmina. Recensuit et praefatus est Lucianus Mueller. [XLIV u. 76 S.] gr. 8. 1877 geh. n. *M.* 3.60.

Phaedri fabulae Aesopiae. Recognovit et praefatus est Lucianus Mueller. [XIV u. 66 S.] 8. 1868. geh. *M.* —.30.

———— fabularum Aesopiarum libri quinque. Emendavit adnotavit supplevit Lucianus Mueller. [XLII u. 120 S.] gr. 8. 1877. geh. n. *M.* 3.—

Propertii, Sex. Aurelii, elegiae. Recensuit Lucianus Mueller. [LI u. 138 S.] 8. 1870. geh. *M.* —.60.

Rutilii Namatiani, Claudii, de reditu suo libri II. Accedunt Hadriani Flori Apuleii Anniani Sereni aliorumque saec. a. v. c. x. poetarum reliquiae. Recensuit et praefatus est Lucianus Mueller. [XII u. 61 S.] 8. 1870. geh. *M.* —.75.

Tibulli, Albii, libri quattuor. Recensuit Lucianus Mueller. [64 S.] 8. (1870.) geh. *M.* —.30.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.